DES. ERASMI

Roterodami

DIALOGUS,

Cui Titulus

CICERONIANUS:

SIVE

De optimo genere Dicendi.

Accedunt Erasini & Aliorum Epistolæ de eodem Argumento.

OXONIÆ,

Typis *L. Lichfield.* An Dom. 1693. Prostant venales apud *Christoph. Coningsby* Bibliopolam *Londinen-sem.*

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

DES. ERASMUS

Roterodamus

Ornatiſſimo Viro

JOANNI ULATTENO

S. D.

ARduum in primis planeque regium munus eſt, vir ornatiſſime, prudentibus fidiſque conſiliis reip. proſpicere: quod nimirum intelligens Homerus, eum, penes quem erat ſumma rerum, βουληφόρον appellat. Nec alii mortalium ulli præclarius de civitatibus ac regionibus merentur, cum omni quidem tempore, tum vero præcipue hoc ſæculo, quo, neſcio quo fatali tumultu, ſurſum deorſum miſcentur omnia, ſive Chriſtianæ religionis ſtatum inſpicias, ſive monarcharum ac rerumpublic. condi-

conditionem reputes, sive studiorum ac literarum rationem intueare; omnibus sic perturbatis, ut non alio tempore verius fuerit illud Græcis celebratum, ἰερὸν ἢ βουλή. Te vero in hoc pulcherrimo negotio summa fide, mira vigilantia, pariqu dexteritate versantem interpellare, fortassis improbum, aut impium etiam videatur: sed quoniam arbitror non sine causa præcipere Flaccum, Misce stultitiam consiliis brevem; en! adest ab Erasmo tibi libellus, qui suis nugis aliquantisper avocet animum tuum à gravibus tetricisque negotiis. Quanquam hæ nugæ sunt ejus generis, ut, quemadmodum ait idem, Seria ducant. Tantum autem abest, ut nihil attineant ad rempub. ut ad te quoque peculiariter spectent, qui rei scholasticæ apud Aquisgranos summam curam susceperis. Multorum enim partim ignavia, partim siniſtri

mol-

motibus sit, ut bonæ literæ, quæ sat feliciter cœperant efflorescere, jam passim vergant ad interitum. Et quasi sit hoc parum, exstitere pridem, qui nobis veluti novam sectam moliuntur invehere: Ciceronianos sese vocant, intolerabili supercilio rejicientes omnium scripta, quæ Ciceronis lineamenta non referunt; & adolescentiam, à cæterorum scriptorum lectione deterritam, ad unius M. Tullii superstitiosam æmulationem adigunt: quum nulli minus exprimant Ciceronem, quam ipsi qui se hujus tituli fumo molestissime venditant jactitantq; Quanta vero studiorum pernicies, si persuasum fuerit neminem præter unum M. Tullium vel legendum esse vel imitandum! Subolet autem & aliud hujus nominis prætextu geri, nimirum ut pro Christianis reddamur Pagani: quum ego nihil prius agendum existimem, quam ut bonæ literæ Chri-

sti

ſti domini Deique noſtri gloriam
ea ſermonis copia, ſplendore, nitore
que prædicent, quo M. Tullius de
rebus profanis dicere ſolitus eſt. Et
animadverto juvenes aliquot, quos
nobis remittit Italia, præcipue Ro-
ma, nonnihil afflatos hoc affectu.
Viſus itaque ſum mihi rem factu-
rus, nec inutilem ad pietatem, &
ſtudiis adoleſcentiæ conducibilem, ſi
lucubratiunculam unam huic rei da-
rem: non ut eloquentiæ candidato
à Ciceronis imitatione deterream;
(quid enim inſanius?) ſed ut oſten-
dam quo pacto fieri poſſet, ut ver
Ciceronem exprimamus, & ſum-
mam illius viri facundiam cum
Chriſtiana pietate copulemus. Ar-
gumentum hoc dialogo tractavimus,
quo ſimul & minus eſſet tædii lecto-
ribus, & res facilius illaberetur in
affectus juvenum. Bene vale. Ba-
ſileæ, poſtridie Idus Februarii, An-
no M. D. XXVIII.

DES

DESID. ERASMI
Roterodami
CICERONIANUS,
Sive Dialogus
DE
OPTIMO DICENDI GENERE.

Perſonæ,

Bulephorus, Hypologus, Noſoponus.

Buleph. QUem video nobis procul in extrema porticu deambulantem? Niſi parum proſpiciunt oculi, Noſoponus eſt, vetus ſodalis, & ſtudiorum συνεργός. *H.* An hic eſt ille Noſoponus, olim congerronum omnium lepidiſſimus, rubicundulus, obeſulus, Veneribus & Gratiis undique ſcatens? *B.* Is ipſe eſt. *H.* Unde hæc nova ſpecies? Larvæ ſimilior videtur, quam homini. Num quis hominem habet morbus? *B.* Habet graviſſimus. *H.* Quis obſecro? Num hydrops? *B.* Interius malum

eſt, quàm in cute. *H.* Num novum hoc lepræ genus, cui vulgus hodie ſcabiei nomine blanditur? *B.* Et hoc interior hæc lues. *H.* Num phthiſis? *B.* Penitius inſedit malum, quam in pulmone. *H.* Num phthiſis, aut icterus? *B.* Eſt quiddam felle interius. *H.* Fortaſſe febris in venis & corde graſſans. *B.* Febris eſt & non febris, interius quiddam adurens quam ſi febris in venis aut corde graſſetur, ab intimis animi penetralibus, quæ in cerebro ſunt, proficiſcens. Sed deſine fruſtra divinare; novum mali genus eſt. *H.* Nondum igitur habet nomen? *B.* Apud Latinos nondum, Græci vocant *Zelodulean*. *H.* Nuper accidit, an χθὲς eſt malum? *B.* Annos jam plus ſeptem eo tenetur miſer. Sed heus conſpecti ſumus! Videtur huc gradum flectere. Melius ex ipſo cognoſces quid ſit mali. Initio Davum agam, tu hac orationi ſubſervias, & fabulæ partem agas. *H.* Equidem id faciam ſedulo, ſi norim quid mihi deleges. *B.* Percupio veterem amiculum tanto levare malo. *H.* Etiamne rem medicam calles? *B.* Scis eſſe dementiæ genus,

nus,quod non totam mentem admit: ſed unam modo partem animi lædit, verum inſigniter; veluti ſunt qui ſibi videntur capite taurina geſtare cornua, aut naſo prælongo onuſti, aut ingens idque fictile portare caput exili collo innixum, mox comminuendum, ſi ſe vel tantulum commoveant. Nonnulli ſunt, qui, quoniam ſe mortuos arbitrantur, vivorum exhorrent congreſſus. *H.* Deſine: novi iſtud morbi genus. *B.* Ad his medendum non alia via commodior,quam ſi te ſimules eodem teneri malo. *H.* Iſthuc audivi frequenter. *B.* Id nunc fiet. *H.* Hujus fabulæ non modo ſpectator,verum etiam adjutor lubens fuero. Nam homini cum primis bene volo. *B.* Ergo compone vultum, & ſume perſonam; ne quid illi ſuboleat rem de compoſito geri. *H.* Fiet. *B.* Noſoponum etiam atque etiam ſalvere jubeo. *H.* Et Hypologus Noſopono ſalutem dicit. *N.* Equidem vobis ambobus paria viciſſim precor. Sed utinam adſit quod optatis mihi! *B.* Non abeſſet, ſi nobis tam eſſet in manu dare, quam eſt optare. Sed quid eſt,rogo te,mali? Nam

ista facies ac macies nescio quid sinistri pollicentur. Apparet hepatis esse vitium. *N.* Imo cordis, vir optime. *H.* Bona verba: siquidem malum immedicabile narras. *B.* Nullane spes in medicis? *N.* Ab humanis præsidiis nihil est quod sperem. Numinis opus est ope. *B.* Atrocem morbum narras. At cujus tandem numinis? *N.* Est Diva quæ Græcis dicitur Πειθώ. *B.* Novi Deam flexanimam. *N.* Hujus amore depereo, emoriturus ni potiar. *B.* Haud miror, Nosopone, si contabescis. Novi quam sit res violenta Cupido, & quid sit esse νυμφόληπτον. Sed quam pridem te corripuit amor? *N.* Anni sunt ferme decem, quod hoc saxum volvo, nec adhuc succedit. Itaque certum est aut immori negotio, aut assequi tandem quod amo. *B.* Tenacem pariter atque infelicem amorem narras, qui tot annis nec elabi potuerit, nec copiam adamati fecerit. *H.* Fortassis hunc Nymphæ suæ copia discruciat magis quam inopia. *N.* Imo inopia maceror infelix. *B.* Quî potest? quando sic hactenus omnium unus excelluisti dicendi facultate, ut pleriq; de

te

te prædicarent quod olim de Pericle dictū est, Suadelam in tuis sessitare labris. *N.* Ut paucis dicam, mihi putet omnis eloquentia præter Ciceronianam. Hæc est illa Nympha, cujus amore colliquesco. *B.* Nunc affectum intelligo tuum. Speciosum illud & amabile *Ciceroniani* cognomen ambis. *N.* Adeo ut, ni consequar, vitam mihi acerbam existimem. *B.* Prorsus mirari desino. Ad rem enim omnium pulcherrimam animum adjecisti. Sed nimium verum est quod dici solet, Δύσκολα τὰ καλά. Jam tuis votis in me ipso faveo, si quis deus propitius nos respiciat. *N.* Quid rei est? *B.* Dicam, si potes rivalem perpeti. *N.* Quorsum ista? *B.* Ejusdem Nymphæ me discruciat amor. *N.* Quid audio? Teneris eadem cura? *B.* Ut qui maxime; & in dies accrescunt flammæ. *N.* Isto quidem nomine mihi carior es, Bulephore; ut quem hactenus semper in primis dilexi, nunc etiam amare incipiam, postea quam conveniunt animi. *B.* Fortasse nolles isto levari morbo, si quis herbis, gemmis, aut incantamentis opem polliceatur. *N.* Isthuc

eſſet occidere, non mederi. Aut moriendum eſt, aut potiundum, nil medium eſt. *B.* Ut facile tuum affectum ex meo divinabam! *N.* Nihil itaque te celabo, velut iiſdem myſteriis initiatum. *B.* Tuto quidem iſthuc feceris, Noſopone. *N.* Me non ſolum pulcherrimi cognominis ſplendor ſollicitat, verum etiam Italorum quorundam procax inſultatio: qui quum nullam omnino phraſim probent præter Ciceronianam, ſummique probri loco ducant, negari quempiam eſſe *Ciceronianum;* tamen hujus cognominis honorem ab orbe condito nemini Ciſalpinorum contigiſſe jactitant, præterquam uni Chriſtophoro Longolio, qui nuper è vivis exceſſit. Cui ne videar hoc laudis invidere, idem auſim de illo prædicare, quod de Calvo ſcripſit Quintilianus, *fecit illi properata mors injuriam.* *H.* Imo, non tam illi, quam optimis ſtudiis, præpropera Longolii mors fecit injuriam. Quid enim ille non potuiſſet nobis in bonis literis reſtituere, ſi tali ingenio, tali induſtriæ, juſtum vitæ ſpatium addidiſſent ſuperi? *B.* Verum, quid

quid vetat, quo minus quod uni datum eſt, Muſis faventibus, obtingat pluribus? *N.* Ille huic pulcherrimo facinori immortuus eſt, mea ſententia felix. Quid enim pulchrius, quid amplius, quid magnificentius, quam Ciſalpinum hominem Italorum ſuffragiis appellari *Ciceronianum*? *B.* Gratulandum arbitror illius felicitati, qui ſuo tempore deceſſerit, prius quam hanc gloriam aliqua nubecula offuſcaret, vel ob Græcarum literarum ſtudium, cui ſe dicare cœperat: vel ex Chriſtianis auctoribus oborta nebula, à quibus fortaſſe non ſatis conſtanter abſtinuiſſet, ſi diuturnior vita contigiſſet. *B.* Sic eſt, ut ais: illi pulcherrimo facinori immori datum eſt. At mihi ſpes eſt futurum, ut huic pulcherrimo facinori ſuperſimus etiam, non immoriamur. *N.* Quam faveo tuis votis! Diſpeream, ni iſthuc malim, quam in Divorum aſcribi numerum. *B.* Quis enim non malit apud poſteros celebrari *Ciceronianus* quam *ſanctus*? Cæterum quando hoc amoris genus zelum neſcit, obſecro te, perque curas, perque ſpes mihi

tecum communes, ut pariter amanti ſaltem conſilium tuum impertias, quibus rationibus tu tuam amicam ambis. Fortaſſe citius perveniemus ambo, ſi uterque alteri fuerit auxilio. *N.* Muſæ neſciunt invidiam, multo minus Gratiæ, Muſarum ſodales. Studiorum ſocio nihil negandum eſt, & amicorum oportet eſſe communia omnia. *B.* Plane bearis me, ſi id feceris *H.* Quid ſi me quoque in veſtrum contubernium recipiatis? Sum enim jam pridem eodem œſtro percitus. *N.* Recipimus. Ergo velut eidem initiatis Deo, retegam myſteria. Jam annos ſeptem totos nihil attingo præter libros Ciceronianos, à cæteris non minore religione temperans, quam Carthuſiani temperant à carnibus. *B.* Cur iſthuc? *N.* Ne quid alicunde hæreat alienæ phraſeos, ac veluti labem aſpergat nitori Ciceroniani ſermonis. Proinde, ne quid hic peccem imprudens, quicquid eſt aliorum codicum, ab oculis ſubmovi, ſcriniis incluſum: nec ulli prorſus eſt locus in mea bibliotheca, præterquam uni Ciceroni. *B.* O me negligentem! Tanta religi-

one

one nunquam colui Ciceronem. *N.* Non tantum in Lararío Muſæoque, verum & in omnibus oſtiis imaginem illius habeo belle depictam, quam & gemmis inſculptam circumfero, ne unquam non obverſetur animo. Nec aliud ſimulacrum in ſomnis occurrit, præterquam Ciceronis. *B.* Non miror. *H.* Ego Ciceroni inter Apoſtolos in Kalendario meo locum dedi. *B.* Nihil miror; Deum enim eloquentiæ quondam appellabant. *N.* In hujus igitur ſcriptis evolvendis ac revolvendis adeo ſum aſſiduus, ut totum propemodum edidicerim. *B.* Induſtriam tuam mihi narras. *N.* Nunc accingor ad imitationem. *B.* Huic quantum temporis deſtinaſti? *N.* Tantundem, quantum lectioni. *B.* Rei tam arduæ parum eſt. Utinam mihi vel ſeptuagenario contingat tam ſpecioſi cognominis decus! *N.* At mane: non huic fido diligentiæ. Nulla eſt in omnibus divini viri libris vocula, quam non in Lexicon alphabeticum digeſſerim. *B.* Ingens volumen ſit oportet. *N.* Duo robuſti bajuli vix tergo geſtent probe clitellati. *B.* Hui! At ego

vidi Lutetiæ, qui Elephanto geſtando ſufficerent. *N.* Verum eſt alterum volumen, etiam hoc grandius, in quo juxta literarum ordinem annotavi formulas loquendi M. Tullio peculiares. *B.* Nunc demum me pudet oſcitantiæ meæ priſtinæ. *N.* Additum eſt tertium. *B.* Hui! Etiamne tertium? *N.* Sic opus eſt. In hoc congeſſi pedes omnes, quibus Cicero vel incipit vel finit commata, cola, periodos, quibuſque numeris horum media temperat, tum quibus ſententiis quam modulationem accommodat, ut ne tantillum quidem poſſit ſubfugere. *B.* Verum quî fieri poteſt, ut primus index tanto major ſit toto Cicerone? *N.* Diſce rem, & mirari deſines. Tu forte me credis hac cura contentum, ut ſingulas annotem dictiones. *B.* Sic opinabar. Eſtne amplius? *N.* Imo, iſthuc plus quam nihil eſt. *B.* Quî quæſo? *N.* Vide quantum aberres à ſcopo. Eadem vox non ſemper eodem uſurpatur modo. Sit exempli gratia: *refero* verbum, aliam vim habet cum ait M. Tullius, *referre gratiam:* aliam cum ait, *liberi parentes & forma corpo-*

ris

ris & moribus referunt: aliam cum ait, *refero me ad intermissa studia:* rursus aliam cum ait, *si quid erit quod mea referat scire:* denique aliam cum ait, *non ignota referam.* Item aliud est, *orare Lentulum*: aliud, *orare causam.* Rursus aliter *contendit*, qui cum altero certat: aliter qui quid instanter ab aliquo petit. aliter *contendit*, qui magno studio connititur ad aliquid efficiendum: aliter qui res duas inter se committit comparatque. *H.* Papæ! Isthuc est scribere ἀξιολόγως. *B.* Nunc demum intelligo & tuam vigilantiam & meam oscitantiam. *N.* Nec singulas dictiones incomitatas noto, sed adjungo quæ præcedunt ac sequuntur. Nec sat habeo unum aut alterum notasse locum, quod alii solent; sed quoties quoties dictio reperitur apud Ciceronem, quamvis consimili forma, toties noto paginam, latus paginæ, & versus numerum, addito signo quod indicet, in mediόne versus sit dictio, an in initio, an in fine. His rebus fieri vides, ut una dictio plures occupet paginas. *B.* Deum immortalem! Quid tanta non effi-

efficiat cura? *N.* Mane dum, Bulephore. Nihil eſt quod hactenus audiſti. *B.* Quid iſtis poteſt accedere? *N.* Quid prodeſt tenere verbum, ſi hæreas, aut etiam labaris in deflexis, derivatis & compoſitis? *B.* Non ſatis percipio quod dicis. *N.* Expediam. Quid tritius aut vulgatius his verbis, *amo, lego, ſcribo?* *B.* Etiamne hæc in dubium veniunt? *N.* Aut his nominibus, *amor, lectio, ſcriptor?* *B.* Nihil. *N.* At illud habeto perſuaſum, & neceſſum eſſe mihi, & opus eſſe quicunque contendat ad Ciceroniani cognominis dignitatem, tanta religione, ut nec his quamlibet vulgatis dictionibus utatur, niſi conſulto indice; niſi forte tutum exiſtimas, fidere Grammaticis; qui verba per omnes modos, perſonas, genera & tempora, nomina, pronomina & participia, per omnes caſus & numeros inflectunt; quum nobis fas non ſit, quicquam horum uſurpare, quod à Cicerone non fuerit uſurpatum. Non magnum eſt grammaticè dicere, ſed divinum eſt Tullianè loqui. *B.* Dic obſecro clarius. *N.* *Amo, amas, amat,* ſit enim hoc exem-

exempli cauſa dictum, apud Ciceronem invenio: at *amamus* & *amatis* fortaſſe non invenio. Item *amabam* invenio: *amabatis* non invenio. Rurſus *amaveras* invenio: *amaras* non invenio. Contra *amaſti* reperio: *amaviſti* nequaquam. Jam quid ſi *legeram*, *legeras*, *legerat* reperias: *legeratis* non reperias? ſi *ſcripſeram* invenias: *ſcripſeratis* non invenias? Ad eundem modum conjecta de verborum omnium inflexionibus. De caſuum inflexionibus ſimilis eſt ratio. *Amor*, *amoris*, *amori*, *amorem* comperio apud Ciceronem: *ô amor*, *hos amores*, *horum amorum*, *his amoribus*, *ô amores* non comperio. Item *lectio*, *lectionis*, *lectioni*, *lectionem* invenio: *lectiones*, *lectionibus*, *lectionum*, *has lectiones* & *ô lectiones* non invenio: Ita *ſcriptorem* & *ſcriptores* reperio: *ſcriptoribus* & *ſcripterum* pro ſubſtantivo nomine non reperio. Non obſto quo minus hæc videantur ridicula, ſi vos audebitis *ſtultitias* & *ſtultitiarum*, *vigilantias* & *vigilantiarum*, *ſpeciebus* & *ſpecierum*, *fructuum*, *ornatuum*, *cultuum*, *ambitibus* & *am-*

ambituum, aliaque hujus generis innumera fando uſurpare. Ex his paucis exempli gratia propoſitis, æſtimare potes de cæteris omnibus, quæ conſimilem ad modum inflectuntur. *H. In tenui labor. B. At tenuis non gloria. N.* Succinam & ego, *ſi quem Numina læva ſinunt, auditque vocatus Apollo.* Nunc de derivatis accipe. *Lego* non vereor uſurpare: *legor* non auſim dicere. *Naſutus* auſim dicere: *naſutior* & *naſutiſſimus* nequaquam. *Ornatus* & *ornatiſſimus*, *laudatus* & *laudatiſſimus* intrepide dico: *ornatior* & *laudatior* niſi comperero, dicere religio ſit. Nec quia *ſcriptor* & *lectio* offendo apud Ciceronem, ſtatim auſim dicere *ſcriptorculus* & *lectiuncula*. *B.* Immenſam rerum ſilvam video. *N.* Nunc accipe de compoſitis. *Amo*, *adamo*, *redamo* dicam: *deamo* non dicam. *Perſpicio* dicam: *diſpicio* non item. *Scribo*, *deſcribo*, *ſubſcribo*, *reſcribo*, *inſcribo* dico: *tranſſcribo* non dicam, niſi deprehendero in libris Marci Tullii. *B.* Ne te plane commemorando defatiges, Noſopone, rem non aliter quam in ſpeculo videmus. *N.*

Hæc

Hæc index ille minimus omnium complectitur. *B.* Cameli video ſarcinam. *H.* Et quidem juſtam. *B.* Qua ratione fit, ut in his tam variis non aberres? *N.* Primum hic nihil fido nec Grammaticis, nec cæteris auctoribus quamlibet probatis, nec præceptionibus, nec regulis, nec analogiis, quæ plurimis imponunt. In elencho noto omnes ſingularum vocum inflexiones, tum derivationes: poſtremo, compoſitiones. Quæ ſunt apud Ciceronem, miniata virgula ſigno: quæ non ſunt, atra. Ita fieri non poteſt, ut fallar unquam. *B.* Quid ſi dictio ſit apud Terentium, aut æque probatum auctorem? notabitur atra virgula? *N.* Nulla eſt exceptio. *Ciceronianus* non erit, in cujus libris vel una dictiuncula reperiatur, quam non poſſit in Ciceronis lucubrationibus oſtendere; totamque Phraſim hominis, non aliter quam adulterinũ numiſma, reprobam judicabo, in qua vel unum verbum reſederit, quod Ciceroniani characteris non habeat notam, cui ſoli, velut eloquentiæ principi, datam eſt à ſuperis, Romani ſermonis monetam cudere.

B. Iſta

B. Iſta lex ſeverior eſt etiam Draconis legibus, ſi ob unam dictiunculam parum Ciceronianam, totum volumen damnatur, quamvis alias elegans ac facundum. *H.* Atqui juſtum eſt. Annon vides, ob unicum numulum adulterinum ingentem pecuniæ vim confiſcari: & uno nævo, quamlibet exiguo, totam puellæ formam, licet alias egregiam, devenuſtari? *B.* Accedo. *N.* Ex his quæ diximus, ſi jam omnia conjicientes, ſatis intuemini quanta ſit hujus indicis moles: cogitate quanto major ſit ejus indicis, in quo formulas loquendi, tropos & ſchemata, gnomas, epiphonemata, lepide dicta, ſimileſque dictionis delicias omnes ſum complexus. Rurſus tertii, qui numeros omnes & pedes, quibus M. Tullius orationis partes inchoat, profert, finitque, continet. Nullus eſt enim in toto Cicerone locus, quem non ad certos pedes redegerim. *B.* Iſta moles vel elephantem bajulum deſideret. *H.* Prorſus ἀμαξαῖον onus narras. *N.* Atqui nihil mentior. *B.* Næ tu ſeptennium hoc haud male collocaſti. Nunc quando perpulchre inſtructus

ſtructus es indicibus, ſupereſt ut nobis amicus amicis ac συμβούλοις & illud indices, quibus rationibus ſupellectilem iſtam præclaram ad ſcribendi dicendive uſum accommodare ſoleas. *N.* Non committam, ut quicquam per me quidem vos latuiſſe videatur. Ac de ſcribendo dicam prius, quando vere dictum eſt, *ſtylum optimum eſſe dicendi magiſtrum.* Primum illud eſt: nunquam ad ſcribendum accingor, niſi nocte intempeſta, cum profunda quies & altum ſilentium tenet omnia; &, ſi mavultis Maronis audire carmen,

---placidum cum carpunt feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſilvæque & ſæva quierunt
Æquora; cum medio volvuntur ſidera lapſu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres:

denique cum tanta rerum omnium tranquillitas eſt, ut Pythagoras, ſi viveret, orbium cœleſtium harmoniam exaudire liquidò poſſet. Nam tali tempore Dij Deæque gaudent cum puris mentibus miſcere colloquium. *H.* Iſto noctis tempore nos profani lemurum occur-

occurſus formidare ſolemus. *N.* At nobis Muſæ dederunt, & inauſpicato lemures, & *malignum ſpernere vulgus. B.* At ſunt noctes adeo tranquillæ, ut in his Auſtri Boreæque ruinæ ædium ac miſeranda ludant naufragia *N.* Novi: ſed ego tranquilliſſimas eligo. Non arbitror eſſe vanum quod ſcripſit Ovidius: *Eſt Deus innobis: agitante calefcimus illo.* Si quid igitur divinum habet hominis animus, id ſeſe profert in eo profundiſſimo ſilentio. *B.* Non me fugit, iſtud ſecretum ſemper à laudatiſſimis viris fuiſſe captatum, quoties aliquid immortalitate dignum molirentur. *N.* Habeo Muſæum in intimis ædibus, denſis parietibus, geminis & foribus & feneſtris, rimis omnibus gypſo piceque diligenter obturatis, ut vix interdiu lux aut ſonitus ullus poſſit irrumpere, niſi vehementior, qualis eſt feminarum rixantium, aut fabrorum ferrariorum. *B.* Vocum humanarum tonitrua & officinarum ſtrepitus non ſinunt animum ſibi præſentem eſſe. *N.* Proinde, ne in proximis quidem conclavibus patior quenquam habere cubile, ne

vel dormientium voces ronchive cogitationis ſecretum interpellent. Sunt enim qui in ſomnis loquuntur, & nonnulli tam clare ſtertunt, ut procul etiam audiantur. *H.* Mihi frequenter & ſorices noctu ſcripturienti negotium faceſſunt. *N.* In meis ædibus ne muſcæ quidem locus eſt. *B.* Sapienter tu quidem atque etiam feliciter, Noſopone, ſi queas & animi curas obſtrepentes excludere: quæ ſi nos & nocte comitantur in abditum illud, quid profecerimus captato ſilentio? *N.* Recte mones, Bulephore. Nam intelligo tumultus iſtos aliis ſæpe moleſtiores eſſe, quam vicinorum fabrorum folles aut malleos. *B.* Quid ergo? Tibi nunquam obſtrepunt amor, odium, livor, ſpes, metus, zelotypia? *N.* Ne te multis morer, illud ſemel ſcito, Bulephore. qui amore, zelotypia, ambitione, ſtudio pecuniæ, ſimilibuſque tenentur morbis, eos fruſtra hanc ambire laudem, cujus nos ſumus candidati. Res tam ſacra requirit pectus non modo purum ab omnibus vitiis, verum etiam ab omnibus curis vacuum. Non aliter quam ſecretiores illæ

diſciplinæ,Magia, Aſtrologia,& quam vocant Alchymiſticam. Porro leviores illæ curæ facile cedunt intentioni tam acri, tamque ſeriæ. Quanquam & has, ſi quæ ſunt, diſpello, prius quam ſacrum illud adeam. Nam in hoc animum multo ſtudio conſuefeci meum. Atque hac potiſſimum de cauſa cœlebs agere decrevi: nequaquam ignarus,quam ſancta res ſit conjugium: ſed quod vitari nequit, quin uxor, liberi, affines, multam curarum materiam ſecum trahant. *B.* Sapuiſti, Noſopone. Nam mea conjux, ſi noctu parem ad iſtum modum operam darem Ciceroni, perrumperet oſtium, laceraret indices, exureret ſchedas Ciceronem meditantes: & quod his etiam eſt intolerabilius, dum ego do operam Ciceroni,illa vicarium accerſeret, qui ipſi pro me operam daret. Itaq; fieret, ut dum ego meditor evadere Ciceroni ſimilis, illa gigneret aliquem Bulephoro diſſimilem. *N.* Iſthuc quoniam ſcio quibuſdam uſu veniſſe, alieno monitus periculo, mihi in tempore cavi. Eodem conſilio, nec ullum munus publicum, nec Eccleſiaſticam dignita-

gnitatem ſuſcipere volui, ne quid ex his accederet animo ſolicitudinis. *B.* At iſta magnis ſtudiis ambiuntur ab aliis. *N.* Non equidem invideo. Mihi vel conſulatu, vel ſummi Pontificis regno potius eſt, tum eſſe, tum haberi *Ciceronianum*. *H.* Qui vere amat, præter unam amare non poteſt. *N.* Tum ſi quid hujus rei paro, ſub eam noctem à cœna tempero, leviter etiam pranſus, ne quid craſſæ materiæ liquidioris animi ſedem invadat: neu qua nebula è ſtomacho exhalata gravet, *atque affigat humo divinæ particulam auræ*. *B.* Sic affectum fuiſſe arbitror Heſiodum, cum Muſæ cum ipſo loquerentur. *H.* At *Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma proſiliit dicenda*. *N.* Et ideo ſcripſit vinum olentia carmina. *B. Et ſatur eſt quum dicit Horatius, Ohe!* *N.* Quid agat furor Poeticus, nihil ad nos. *Ciceronianum* eſſe, ſobria res eſt. *H.* Me cerebrum deſtituit ſi quando jejuno. *N.* Non plane jejunium eſt. Sumo decem acinos uvæ paſſæ minutulæ, quam Corinthiacam vocant. Hic neque cibus eſt, neque potus, & tamen utrumque

eſt.

eſt. *B.* Intelligo, leniter humectant, conferuntque cerebro ac memoriæ. *N.* Addo tria coriandri grana ſaccaro incruſtata. *B.* Optime, ne quid vaporis ex decem illis acinis provolet in mentis ſedem. *N.* Neque vero quibuſlibet noctibus abutor ad hanc rem. *B.* Non? Eas excepiſti, quibus ſævit Auſter aut Boreas. Fortaſſis hybernas fugis ob noctis rigorem. *N.* Hoc incommodi facile depellit focus luculentus. *H.* At interim obſtrepit fumus & materiæ crepitus. *N.* Acapnis utor. *B.* Quas igitur noctes deligis? *N.* Paucæ ſunt felices huic ſane negotio: proinde proſperas deligo. *B.* Unde quæſo? *N.* Ex Aſtrologia. *B.* Quum te plus quam totum poſſideat Cicero, qui fuit otium Aſtrologiæ perdiſcendæ? *N.* Indicem mihi mercatus ſum ab hujus artis peritiſſimo. Hujus conſilio rem gero. *H.* Audio multos indicibus iſtiuſmodi fuiſſe deluſos, quoties ſcriptor erravit in numero. *N.* Exploratum ac ſpectatum emi. *B.* Deum immortalem! Iſthuc eſt ſcribere? nec jam miror, Hypologe, ſi noſtra ſunt incondita rudiaque. Verum ad

iſtum

ſtum compoſito modum, utra cogitatio prior, de rebus an de verbis? *N.* Utraque prior, & utraque poſterior. *B.* Ænigma dediſti, non reſponſum. *N.* At Explicabo nodum. In genere de rebus prior eſt cogitatio, in ſpecie poſterior. *B.* Nondum ſatis liquet quid velis. *N.* Exemplo faciam perſpicuum. Statui ſcribere Titio, ſic fingite, ut quam primum curet ad me remittendos codices, quos illi commodato dederam, ſi noſtram amicitiam velit eſſe incolumem. Nam incidiſſe quiddam, ut illis mihi vehementer ſit opus. Id ſi fecerit, nihil eſſe in rebus meis, quod non ſuum ducere poſſit: ſin minus, me veteris amicitiæ teſſeram illi remittere, ac ſimultatem denuntiare. Hæc prima cogitatio, nimirum de re, ſed in genere. *B.* Intelligo. *N.* Huic illico ſuccedit verborum cura. Evolvo quam plurimas Ciceronis epiſtolas: elenchos meos omnes conſulo: ſeligo voces aliquot inſigniter Ciceronianas, deinde tropos, formulas, tum numeros: demum affatim inſtructus hujuſmodi ſupellectile, diſpicio quos floſculos quibus

bus locis poſſim inſerere. Mox ad ſententiarum curam redeo. Hoc enim jam artis eſt, ſenſus ad hæc verborum ornamenta invenire. *H.* Haud aliter, quam ſi quis egregius artifex, veſtem præclaram apparet; ad hæc, monilium, annulorum & gemmarum vim, mox ceream effingat ſtatuam, cui hæc accommodet ornamenta, vel potius, quam ad ipſa conflectat ornamenta. *B.* Quid ni? Verum age, Noſopone. Num tota nox uni datur epiſtolæ? *N.* Quid mihi narras unam? Muſis pulchre videor litaſſe, ſi periodum unicam abſolverit nox hyberna. *B.* Itane de re tam non magna, tam prolixas ſcribis literas? *N.* Imo perbreves, ne ſis inſciens, ut quæ ſextam periodum non excedant. *B.* Quin igitur ſex noctes ſufficiunt his abſolvendis? *N.* Quaſi ſatis ſit ſcripſiſſe ſemel. Decies refingendum quod ſcripſeris: decies ad indicem exigendum, ne qua forte dictiuncula te ſefellerit adulterina. Rurſus altera ſupereſt examinatio de tropis ac formulis, poſtrema de numeris & compoſitione. *B.* Iſthuc nimirum eſt opus abſolvere. *N.*

Ne

Ne id quidem satis, ô bone. Dehinc quod elaboratum est cura, quanta potest maxima, seponendum est in aliquot dies; ut ex intervallo, refrigerato jam inventionis amore, velut aliena legas, quæ tua sunt. Hic demum gravis agitur censura. Hoc severum, incorruptum, & ut Græci vocant, «Κριτήριον» judicium, ubi qui scripsit ex parente fit Areopagites. Hic sæpenumero fit, ut verso stylo nihil relinquas. *B.* Omnino sic fiunt accuratæ, sed interim ille fruitur codicibus abs te desideratis. *N.* Isthuc incommodi malim perpeti, quam aliquid à me proficisci, quod non sit Ciceronianum. Ducitur suo quisque judicio. Ego malim multum scribere quam multa. *B.* Scribendi rationem habemus. Ad dicendum qua meditatione te paras? *N.* Prima cautio est, ne cui loquar Latine quod queam effugere. *B.* Ne Latine? Atqui dicendo fieri prædicant, ut bene dicamus. Novum autem exercitationis genus, si filendo discimus loqui. *N.* Dicendo fit ut dicamus expedite: ut Ciceroniano more, nequaquam. Qui se parant equestri certamini, gene-

neroſos equos à curſu prohibent, quo ad ſeriam rem integris viribus veniant. Nec venator prius demit lorum generoſo cani, quam viſa eſt fera. Ad garriendum de quibuſlibet nugis, ſufficit mihi ſermo Gallicus, aut Batavicus: profanis ac vulgaribus fabulis non contamino ſacram linguam. Quod ſi qua res urget, ut Latine dicendum ſit, & pauca loquor, nec ſine præmeditatione; & in eum uſum habeo paratas aliquot formulas. *B.* Quas dicis formulas? *N.* Velut ſi ſit ſalutandus, aut reſalutandus amicus eruditus, qui forte factus eſt obvius; aut viciſſim laudandus, qui te laudarit; aut ſi gratulandum ex longinqua peregrinatione reduci, ſive ex ægrotatione gravi redivivo; aut agendæ gratiæ, qui præſtitit officium; aut bene precandum ei, qui nuper duxit uxorem; aut deplorandus caſus, cui periit uxor. Ad hæc & hujuſmodi, formulis inſtructus ſum è Cicerone decerptis, atque concinnatis: eas edidici, quo poſſim uti velut ex tempore. Porro ſiquis caſus inciderit, ut vitari non queat quin in longum proferatur ſermo, protinus multa

lectio-

lectione diluo quod contractum est labis. Neque enim me fugit, hoc ipso colloquio, quod vobiscum nunc habetur, quantum flagitiorum admittam, quantum detrimenti capiam ad id quod molior. Itaque ad farciendum vix menstrua sufficerit lectio. *B.* Quid si detur spatium meditationi? *N.* Tum quod fuerit iis, quas dixi, rationibus elucubratum edisco; quóque sit memoria certior, subinde mecum recito. Ita fit ut, cum res poscit, veluti de scripto pronunciem. *B.* Quid si qua necessitas exigeret extemporalem orationem? *N.* Quî potest incidere, qui nihil ago publicum? Et si quam functionem publicam obirem, non sum melior Demosthene, qui nunquam voluit nisi meditatus assurgere, quamlibet populi vocibus efflagitatus. Nec mihi pudendum ducerem, quod in oratorum apud Græcos principe laudatur: nec me pœniteat convitii, si quis dicat mea τὸν λύχνον ὀσφίζειν. *B.* Equidem & propositum tuum admiror, & animi fortitudinem suspicio, Nosopone, supra quam dici possit: inviderem etiam, si vel in hoc genere studiorum,

vel inter tam conjunctos amicos ac ſodales tanta peſtis incidere poſſet. Cæterum quoniam arduum eſt quod expetimus, & via non modo longa ac perdifficilis eſt, verum etiam anceps: ſi periculum proprie tuum eſſet, tamen arbitrarer hoc eſſe neceſſitudinis noſtræ, neque vulgaris, neque recentis, liberis conſiliis amico proſpicere; ne tot curas, tot vigilias, cum valetudinis ac rei familiaris diſpendio, fruſtra ſuſciperet, ſuſceptas urgeret; neve, quod in rebus humanis nimium frequenter accidere videmus, pro theſauro diu multumque quæſito tandem reperiret carbones. Nunc vero cum pari cupidine ducamur omnes, ejuſdemque Nymphæ teneamur amore, nam & Hypologus ejuſdem eſt animi: tuæ quoque fuerit humanitatis, & ſi quid admonemus, boni conſulere; & ſi quid habes melius, libenter amicis communicare. *N.* Æquiſſimum, Bulephore, poſtulas: proinde nec te gravatim audiam, nec maligne: ſi quid conſulere queam, in medium conferam. *B.* Primum illud mihi tecum convenit, opinor, ei qui dicendi ſcribendive laudem affectat,

co-

cognitis ante diligenterque perceptis artis præceptionibus, ex multis laudatis ſcriptoribus optimum quempiam eſſe ſeligendum, quem imitetur, & ad quem exprimendum ſe componat. *N.* Maxime. *B.* Neminem autem eſſe, apud Latinos, qui pluribus eloquentiæ virtutibus excellat quam M. Tullius; de quo jure optimo prædicatum eſt, quod de Apelle, in quem unum conflatum erat quicquid in cæteris pictoribus erat eximium ac ſingulare. *N.* Quis iſthuc neget? *B.* Dabis veniam, Noſopone, ſi craſſius ruſticiuſque collegero, Dialectices rudis. *N.* Inter amicos decet omnia boni conſulere. Quanquam & alioqui mihi ſatis argute colligit, qui vere colligit. *B.* Age: quid igitur ſentis de Zeuxide Heracleota? *N.* Quid aliud, quam quod excellentiſſimo Graphices artifice dignum eſt? *B.* Num & ingenio judicioque valuiſſe putas? *N.* Quî potuit ars tanta carere judicio? *B.* Commode reſpondes. Quid igitur illi veniebat in mentem, quod, cum Crotoniatis picturus Helenæ ſimulacrum, in quo decreverat quicquid ar-

tis ſuæ viribus poſſet explicare, & abſolutum formæ muliebris (nam in hoc argumento cæteris antecelluiſſe legitur) exemplar vivæ ſimillimum edere, in quo nulla venuſtatis portio deſiderari valeret; non unam quampiam omnium pulcherrimam adhibuit, ſed ex omnibus oblatis aliquot cæteris præſtantiores elegerit, ut è ſingulis decerperet quod in quaque decentiſſimum eſſet: itaque demum admirandum illud artis ſuæ monumentum abſolverit? *N.* Diligentiſſimi pictoris officio functus eſt. *B.* Vide igitur, num recto conſilio ducamur, qui eloquentiæ ſimulacrum ab uno Cicerone, quamvis præſtantiſſimo, petendum arbitramur. *N.* Si tali forma virginem Zeuxis eſſet nactus, qualis eſt in eloquentia Marcus Tullius, fortaſſis unius corporis exemplo fuiſſet contentus. *B.* Atqui hoc ipſum quo pacto judicare potuiſſet, niſi multis corporibus diligenter inſpectis? *N.* Finge perſuaſum fuiſſe. *B.* In hac igitur es ſententia, nullam in aliis oratoribus eſſe virtutem imitatu dignam, quæ non eximia ſit in M. Tullio?

N.

N. Ita cenſeo. *B.* Nec ullum in hoc eſſe nævum, qui non major ſit in cæteris? *N.* Ita prorſus. *B.* Non hic proferam M. Brutum, qui totum hoc dicendi genus, quod Ciceroni viſum eſt optimum, improbavit: cumque ſtatus ac diviſionis propoſitiones, velut cauſæ totius columnæ, præcipua ſint orationis pars; in oratione pro Milone, quam adeo ſuſpiciunt omnes, Brutus non probavit primarium ac ſecundarium cauſæ ſtatum adhibitum à M. Tullio, ſed eandem cauſam aliter tractavit. Non objiciam Pomponium Atticum, cujus *unguiculos ac miniatulas cerulas ſe metuere* ſcribit Cicero, quibus ille notare ſolitus eſt quæ in M. Tullii ſcriptis offendebant: non M. Catonem, qui Ciceronem, cum ſibi maxime feſtivus videretur, *ridiculum* appellavit. Hactenus & viros graves & amicos Ciceronis recenſui. His ſi adjiciam Gallum, Lartium, Licinium, Ceſtium, Calvum, Aſinium: ſi Cœlium ac Senecam, ſi complures alios: qui cum de Ciceronis ingenio non ſatis magnifice ſenſerunt, tum orationis genus damnarunt: aliis illum

lum appellantibus *aridum, jejunum, exſuccum, exſanguem, elumbem ac diſſolutum, mollem ac parùm virum:* rurſum aliis *tumidum, Aſiaticum ac ſuperfluis redundantem:* reſpondebis hæc eſſe vel inimicorum, vel invidorum judicia; qui jam Triumvirali proſcriptione dejecti, famam etiam moliti ſunt, ſi minus exſtinguere, certe obſcurare. *N.* Recte divinas. Nam iſthuc plane reſponſurus eram, & optimo jure reſpondendum arbitror. *B.* Tribuantur ſane hæc judicia, vel odio, vel livori. Certe fateberis, opinor, cum eruditis omnibus, facetiam ſeu riſum eſſe partē artis Rhetoricæ. *N.* Alioqui quorſum opus erat ab oratoribus tam multa de hoc præcipi? *B.* Nemo negat Ciceronem in jocando fuiſſe multum, alii nimium prædicant, tum intempeſtivum & ſcurrilitati proximum. Certe modum illi defuiſſe, quemadmodū Demoſtheni facultatem, doctorum fere conſenſus fuit: nec admodum repugnat Quintilianus, culpam in Tironem conferens, qui nimium indulſerit numero dictorum, ac plus in congerendis ſtudii, quam in eli-

eligendis judicii adhibuerit. Verum hæc Tironis accusatio in patronum recidit. Sed hæc utcunque habent, quis unquam in hoc genere laudis primas tribuit M. Tullio? Lacedæmoniorum peculiaris hæc erat laus, & secundum hos Atticorum. Adeo ut, cum poëma bucolicum & comœdia lepore facetiaque potissimum commendentur, ad hanc Venerem Latini ne aspiraverint quidem. Est igitur aliqua virtus oratoris, quæ rectius petatur ab aliis, quam à Cicerone. *N.* Nos de Latinis agimus. *B.* Age: audebimusne Ciceronis jocos cum C. Cæsaris, aut cum Octavii Cæsaris dictis conferre? *N.* Vix ausim quod adhuc nemo doctorum ausus est. *B.* Itaque si res festivitatem desideret, non mihi fas erit aliquid ex Octavii dictis effingere? *N.* Non si velis haberi *Ciceronianus*. *B.* Rursus abs te quæro, num sententias ponas inter ornamenta dictionis. *N.* Gemmæ sunt & lumina; tantum abest, ut submoveam ab arte. *B.* Hic appello tuum judicium, an in hoc genere laudis Cicero cæteris omnibus antecellat. *N.* Non me clam est, quod Seneca Publium Mimographũ in hac laude præfert omni-

bus. Verum non protinus oraculum eſt, quod Senecæ viſum eſt, qui ipſe in ſententiis immodicus eſt, & quibuſdam frivolis indulget. *H.* Et iſtud Quintiliani & Auli Gellii judicium rejici poterat, quod uterque videatur inviſum habuiſſe Senecam; alter ob æmulationem, alter ob ingenii dictioniſq; ſimilitudinem. At idem Gellius, quamvis parùm æquus, fatetur inter Senecæ ſententias eſſe, quibus nihil melius dici poterat. Nec fieri poteſt, ut omnes æque felices ſint, ubi ſermo totus ſententiis contextus eſt. Verum ex his facilius invenias quod imiteris, quam ex aliis, in quibus nec crebræ ſunt, nec inſignes. Age dum: nonne res interdum exigit brevitatem? *N.* Fortaſſis. *B.* Hujus exemplũ utrum rectius petes à Salluſtio, Brutove, an à Cicerone? *N.* Cicero brevitatem non affectavit. *B.* In Demoſthene laudatur vis orationis, hoc eſt, nervoſum quiddam ac naturale: ab utro hoc rectius petemus? *N.* De Latinis agebamus. *B.* Verum hæc ſunt omnium linguarum communia. Rurſum; res interdum poſtulat ſeveritatem; hujus exemplũ re-

rectiusne petemus à Cicerone, an à Bruto & Pollione? *H.* Ut pro hoc respondeam: ab his qui hac nota fuerunt insignes. *B.* Ubi negotium involutum, partitionibus explicandum est; utrum à Cicerone petemus, an ab Hortensio, aut si quis Hortensio similis? *N.* Quid petemus ab illo, cujus præter memoriam nihil exstat? *B.* Verum disputandi gratia fingamus exstare. *N.* Nihil opus fingere; veris ac notis agamus. *B.* Nemo non fatetur, fidem in oratore præcipuam esse. Eam conciliat probitatis & gravitatis opinio, elevat artis aut intemperantiæ suspicio. Habeatur sane Cicero vir bonus, quod vix illi Fabius, licet impendio favens, audet tribuere: sed, quod dissimulari non potest, artem magis ostentat; de se plura glorioſe commemorat; licentius in alios invehitur quam Cato, Brutus, aut Cœlius, cui sanctitatem tribuit Quintilianus. Harum itaque rerum exemplum nonne rectius petemus ab Aristide, Phocione, Catone, Bruto, quam à Cicerone? *N.* Videris huc venisse meditatus Ciceronis vituperationem. *B.* Minime gentium, ô

No-

Noſopone. Si ſermonis exitum patienter exſpectaris, intelliges & Ciceronis & noſtram agi cauſam: Ciceronis, ne forte perperam illum exprimentes, gloriam ejus obſcuremus, quemadmodum ſolent imperiti pictores eos traducere, quorum effigiem ſecus quam oportet expreſſerunt: noſtram, ne male collocemus amores noſtros, ac ridiculum quiddam, nec minus infelix uſu veniat nobis, quam quod obtigiſſe dicitur Ixioni, qui pro adamata Junone, nubis inane ſimulacrum complexus eſt; aut Paridi, qui pro rapta Helena decem annis bellum geſſit, quum interim mendax Helenæ ſimulacrum amplecteretur, nimirum ipſa procul in Ægyptum Deorum artificio ſublata. Quid enim nobis infelicius, aut magis ridiculum, ſi tot laboribus nihil aliud, quam inanem ac fallacem Ciceronis umbram aſſequi contingeret? *N.* Iſthuc omen avertant ſuperi. *B.* Avertant, inquam: & hoc agimus, ne quid ſimile eveniat. *N.* Nonnihil & illud conducit ad imitationem Ciceronis, ut quam optime ſentiamus de Cicerone. *B.* Novus candor, ſi melius

us ſentiamus de Cicerone, quam ipſe ſenſit de ſe ipſo. Verum tribuatur hoc illius modeſtiæ, ſi parcius de ſe prædicavit. Quis unquam veterum ſic admiratus eſt Ciceronem, ut ab uno petenda putarit omnia dictionis ornamenta? *N.* At hodie ſunt quam plurimi, quos hæc habet opinio. *B.* Nihil moror quam plurimos: cordatum ac vere doctum reor eſſe neminem. Cui mortalium hactenus ſic indulſit natura, vel in una quapiam diſciplina, ut unus in ſingulis ejus partibus excelleret omnes, ut non aliquid reliquerit in eo deſiderandum, aut ita dederit, ut non ab aliis ſuperaretur? Quanto id incredibilius in dicendi facultate, quæ diſciplinis propemodum omnibus conſtat, quæ tot alias res deſiderat, quas nemo præceptis tradere poſſit? Fingamus, hodie Ciceronem vivere, & eſſe quendam Trachalo ſimillimum: utrum malles à Cicerone vocis moderationem petere, an à Trachalo? Opinor ab eo, qui hac parte præfertur omnibus. Pudoris ac modeſtiæ ſpecimen utrum malles à Craſſo, ſi viveret, petere, an à Cicerone? Et

ne de ſingulis commemorem, nonne ſumeres à ſingulis, in quo cæteris anteſtarent? *H.* Quis non eligeret potiora, niſi qui vel non dijudicaret, vel ſibi invideret? *B.* Itaque mihi probatur Zeuxidis exemplum: quod ſequutus etiam Quintilianus, imitatori præcipit, nec unum eſſe legendum, nec omnes, nec quoſlibet; ſed ex præcipuis deligendos aliquot eximios, inter quos Ciceroni primas tribuit, non ſolitudinem. Summum enim eſſe vult inter proceres, non ſolitarium, excluſis cæteris. *N.* Si Quintiliani conſiliis auſcultabimus, idem nobis uſu veniet, quod evenit ipſi. *B.* Quidnam? *N.* Ut parum evadamus *Ciceroniani.* Nobis alius propoſitus eſt ſcopus. *B.* An parum erit Ciceronianum, cui quicquam acceſſerit, quod à Cicerone petitum non fuerit? *N.* Sic autumant. *B.* Etiam ſi melius fuerit, quod ab alio petitur, aut ne ſit quidem illud apud Ciceronem? *N.* Quidni? *B.* Sed interim illud mihi cogites velim, optime Noſopone, quanta pars Ciceronianorum voluminum interciderit, & in his divinum illud opus de Republica, cujus fra-

fragmentum, neſcio quo fato, ſervatum, nihil aliud quam deſiderio reliquorum voluminum diſcruciat animos noſtros, quæ cujuſmodi fuerint, hinc licet æſtimare, leonem, ut aiunt, ex unguibus. Ne quid interim commemorem, de tot epiſtolarum libris, de tot orationibus injuria temporum interceptis, de tribus voluminibus, quibus Tyro libertus jocos & ſcite dicta Ciceronis complexus eſſe legitur, deque cæterorum hujus viri ſcriptorum naufragio. Quî potes igitur abſolutus eſſe *Ciceronianus*, qui tam multa illius non legeris? Adde quod Cicero non tractavit omnes materias. Ergo ſi forte dicendum fuerit de his, quas ille non attigit, unde tandem petemus orationis ſupellectilem? An proficiſcemur in campos Elyſios, ab ipſo percunctaturi, quibus verbis ille talia fuerit dicturus? *N.* Ea duntaxat tractabo, quæ poſſint verbis Tullianis explicari. *B.* Quid? Annon judicas Ciceronem oratorum præſtantiſſimum? *N.* Pluſquam præſtantiſſimum. *B.* Quid Apellem? Nonne pictorum optimum? *N.* Aiunt; & credo. *B.* An

cum

eum Apellæum appellares, qui non poſſet quarumlibet rerum imagines effingere; ſed tantum eas, quas ante pinxiſſet Apelles? Atque adeo qui non omnes tabulas Apellis manu depictas conſpexiſſet? *H.* Quis iſtud diceret, niſi ſi cui placet ille pictor, in quem jocatur Horatius; qui dato pretio conductus ad pingendum naufragium, pinxit cupreſſum, & indignatum conductorem rogavit, ecquid vellet appingi prominens è cupreſſo. *B.* Quid aliud eſt eſſe *Ciceronianum*, quam illi ſimillimum eſſe? *N.* Nihil aliud. *B.* An ille ſimilis videtur Ciceroni, qui non poteſt niſi de certis materiis dicere? *N.* Perge. *B.* Mihi ne oratoris quidem titulo dignus haberetur. Si Cicero quavis de re potuit optime dicere: is mihi *Ciceronianus* erit, qui quacunque de re valeat præclare differere: quemadmodum Apelli ſimillimus erit; qui & Deorum & hominum, & animantium & omnium denique rerum formas penicillo ſuo poterit adumbrare. *N.* Equidem pulchrius eſſe duco tres epiſtolas ſcribere phraſi Ciceroniana, quam centum volumina ſtylo quamlibet expolito, modo à Ciceroniano

diſ-

discrepante. *B.* Verum, Nosopone, si isthæc sententia sederit animo nostro, vereor futurum, ut non solum non evadamus *Ciceroniani*; sed ipsi etiam Ciceroni, anoi videamur. Quæso illud mihi bona fide respondeas: totum Ciceronem exprimendum censes, an mutilum? *N.* Et totum quantus est, & solum. *B.* Quî totum, qui se totum non expressit? Rursus qui ea parte qua se nobis conspicuum fecit, mutilus est ac vix dimidiatus? Adde quod in his ipsis quæ exstant, aliquando sibi non satisfecit. Siquidem de Inventione libros, substituto Oratore, veluti damnavit. Et orationem pro Dejotaro munus levidense vocat. Ad hæc in his quæ scripsit tantum, non etiam recognovit, ipse Cicero non est *Ciceronianus*; cujusmodi sunt libri de Legibus, præter alia multa. Quî fiet igitur, ut totum quantus est æmulemur, quem & mutilum habemus & truncum, & in nonnullis indolatum ac sui dissimilem? Nisi forte probaturus es illum, qui inchoatas Apellis tabulas, aut rudes Lysippi statuas imitans, speret, se alterum Apellem aut Lysippum eva-

evaſurum. Id ſi conſpiceret Apelles ipſe, quem ferunt ingenio candido liberoque fuiſſe, nonne clamaret, Quid facis, κακόζηλε? Iſthic non eſt Apelles. Jam ſi quis ſibi propoſuiſſet inſignem Lyſippi ſtatuam effingendam, cui rubigo vitiaſſet mentum & os, aut ei parti non impoſuiſſet artifex ſummam manum, gravaretur ejus partis exemplum ab alio quopiam artifice ſumere, an potius haberet, illud, ut eſt corruptum & imperfectum, æmulari, ne recedat ab exemplo cui ſemet addixit, quam ex alterius artificis ſigno, quod deeſt, ſupplere? *N.* Ut poſſumus, aiunt, quando ut volumus non licet. *B.* Aliis, Noſopone, rectius iſtud verbum uſurpabitur; qui quod in Cicerone diminutum eſt, ex aliis ſcriptoribus farciunt. Mallent enim ex uno omnia, vel quia promtius eſt, vel quia nullus illo dixit felicius: verum quando id non eſt datum, ex aliis mutuantur. Quid quod Ciceronem habemus non modo truncum ac lacerum; verum etiam ita depravatum, ut ſi reviviſceret ipſe, opinor, nec agnoſceret ſua ſcripta, nec reſtituere poſſet, quæ librariorum ac ſemi-

semidoctorum audacia, incuria, inscitiaque corrupta sunt: quod malum Teutonibus potissimum imputat Politianus: quibus ut hic patrocinari nolim, ita puto, nihilo minus invectum mendarum ab audacibus quibusdam ac sciolis Italis. Ut ne commemorem interim suppositicia falsoque titulo Ciceronem autorem mentientia. Quo de genere sunt libri Rhetorici quatuor ad Herennium, hominis haudquaquam indocti, sed ad Ciceronem balbi. Sunt & inter orationes, quæ non à Cicerone scriptæ, sed ab alio quopiam erudito exercendæ dictionis gratia confictæ videntur. Adjecta est nuper oratio pro M. Valerio, quæ solœcismis scatebat, tantum abest, ut Ciceroniana dici possit. Nec desunt qui Portii Latronis declamationem in Catilinam pro Ciceroniana legant oratione. Proinde si devotis animis nos unius Ciceronis imitationi dediderimus, citra delectum expressuri quicquid apud illum compererimus; nonne nosmet in summum conjecerimus discrimen, ne cum diu multumque nos ipsos torserimus, tandem Gotticas voces, aut Teu-

Teutonum ſolœciſmos pro Ciceronianis floſculis amplectamur æmulemurque? *N.* Iſtud malum avertant Muſæ. *B.* Vereor ne, Muſis dormitantibus, id nobis frequenter eveniat, Noſopone. Nec enim ſemel luſum hunc vidimus. Fragmentum è Ciceronе decerptum, addito Germani cujuſpiam titulo, quam deridebant, quoties barbarum inclamabant, qui ſibi valdè *Ciceroniani* videbantur! Rurſus aliquid pridie confictum proferebatur in medium, addebatur Ciceronis nomen, & fingebatur exemplar repertum in bibliotheca pervetuſta; quam exoſculabantur, quam adorabant divinam illam & inimitabilem Ciceronis phraſim! Quid quod eruditi non negant, in Ciceronis ſcriptis inveniri ſolœciſmos inexcuſabiles; quales & olim exciderunt, & excidunt hodie viris eruditis, dum in varias res diſtracta cogitatione, magis ſententiæ præcedentis meminerunt, quam verborum; eoque fit, ut periodi clauſula prioribus non reſpondeat. Quod genus ſit: *Diutius commorans Athenis, quoniam venti negabant ſolvendi facultatem, erat animus*

ad te ſcribere: Initio verſabatur in animo *volebam*, aut *ſtatueram*; poſt magis arrifit *in animo erat:* quæ voces eundem efficiunt ſenſum, ſed parum congruunt iis, quæ præceſſerant. Quin A. Gellius libro 6. cap. decimo quinto, profert locum ex ſecundo libro Ciceronis de Gloria, in quo manifeſto lapſus eſt, verſus aliquot Homericos ex Iliados » tribuens Ajaci, quum ibi dicantur ab Hectore. An id quoque conabimur æmulari? Id profecto faciendum, ſi totum exprimemus. Ad hæc obſervatum memoriæque proditum eſt, Ciceronem dixiſſe quædam quæ nemo doctus putavit imitanda, veluti cum ait *in poteſtatem eſſe* pro *in poteſtate eſſe*. Ac ſane fieri poteſt, ut illud *tem* pro *te* fecerit in autographo calami fluxus, aut alius quiſpiam caſus, aut in aliis exemplaribus librarius oſcitans induxerit. Rurſus in edicto M. Antonii, M. Tullius veluti barbaram & Latinis inauditam vocem proſcindit *piiſſimus* à *pio*, quum ea apud probatiſſimos Latinæ linguæ ſcriptores reperiatur. Idem ut ſolœcon in eo reprehendit, quod ſcripſiſſet

pſiſſet *facere contumeliam*, quemadmodum dicimus Latine *facere injuriam*, quum apud Terentium, optimum, ni fallor, elegantiæ Romanæ autorem, ita loquatur Thais: *Nam ſi ego digna hac contumelia ſim maxime; at tu indignus qui faceres tamen;* opinor enim tacite repeti *contumeliam*. Idem ab his vocibus *noviſſime* & *noviſſimus*, ceu male Latinis, abſtinuit; quum eæ non veriti ſint uti M. Cato & Salluſtius. Qua religione M. Tullium A. Gellius teſtatur uſum & in aliis multis dictionibus, quibus autores bene Latini & ante illum & poſt illum frequenter uſi ſunt. Fertur et geminum *ſſ* ſcripſiſſe, quoties antecedebat longa vocalis, velut in *cauſſa*, *viſſe*, *remiſſi*. pro *cauſa*, *viſe*, *remiſi*. Num igitur, totum Ciceronem imitantes, abſtinebimus ab his quæ contra doctiſſimorum hominum ſententiam uni Ciceroni non placuerunt, aut ea ſequemur, quæ nulli docti voluerunt imitari, ac nec excuſare potuerunt? *H.* Iſthuc quidem amantium eſt, etiam nævos earum, quas amant, exoſculari. *B.* Age: ſi totus erit exprimendus, num illius

ex

exemplo *Muſis & Apolline nullo ſcribemus verſus?* *N.* Carmen excipio. *B.* Næ tu bonam eruditionis partem excipis, dum carmen excipis. Cæterum quid vetat, quo minus utamur hac exceptione & in his virtutibus, in quibus ab aliis ſuperatur Cicero, quemadmodum in hoc toto genere multis eſt inferior, ne dicam omnibus? Quam multos verſus admiſcet ſcriptis ſuis ex Homero & Euripide, parum feliciter verſos; præter Græcorum exemplum in Iambicis eam uſurpans libertatem, quam ſibi Latini Comœdiarum ſcriptores permiſerunt. Tu ſi quid ſimile voles facere, num vereberis ea felicius, ſi poſſis, ac minore licentia vertere, ne ſis parum Ciceroni ſimilis? Annon dehoneſtat orationem ſolutam qui verſiculos, quos vertendo facit ſuos, parum reliquæ dictioni congruentes admiſcet? Tum quoniam identidem illis ſuis libris adſpergit verſus Ennianos, Nævianos, Pacuvianos & Lucilianos, horridam illam & inconditam antiquitatem reſipientes: tibi religio erit, ſimiles, imo diſſimiles verſus, ex Virgilio,

gilio, Horatio, Ovidio, Lucano, Perſiove, proferre; quorum lucubrationes, ut minus horroris, ita plus habent tum elegantiæ, tum eruditionis. An hic metues videri M. Tullio diſſimilis? *N.* Certe nonnihil receſſerimus ab eo, quem modis omnibus exprimere conamur. *B.* At quid eſt neceſſe, ſemper ac modis omnibus eſſe ſimilem, quum ſæpe potius ſit eſſe parem, & interdum facilius ſit ſuperare quam æquare, hoc eſt, meliora ſcribere quam ſimilia? *N.* Meliora Ciceronianis ne Muſas quidem ipſas dicturas opinor. *H.* Fortaſſe poſſent, ſi nervos intenderent, & noctu incœptæ ſcriberent ad lucernulam. *B.* Ne quæſo commoveare, Noſopone; ſemel ſtipulatus ſum impune dicendi, quæ viderentur, poteſtatem. Si quis ſit uſque adeo deditus addictuſque Ciceroni, quemadmodum nos hactenus ſumus, annon periculum ſit, ne cæcus amore vel pro virtutibus admiretur vitia, vel ſciens ipſa quoq; vitia effingat? *N.* Ἡράκλες! In Cicerone vitia? *B.* Nulla, niſi forte ſolœciſmus vitium eſt apud alios, apud Ciceronem

non est; at solœcismos, ut diximus, eruditi commonstrant in libris M. Tullii: nisi labi memoria vitium est; & hoc commonstratum est à doctis. Si vitium non est immoderata mentione propriarum laudum etiam illum gravare cui patrocinaris, quod in Milonis defensione factum testatur Asconius Pedianus; & vix usquam non submolestus est hoc affectu Cicero, *non sine causa*, ut eleganter inquit Seneca, *sed sine fine glorians*. Et haud scio utra re sit intemperantior, de se gloriando, an alios insectando. Quocunque colore defenderimus hæc, illud inficiari non poterimus, hac duntaxat in parte, rectius exemplum ab aliis peti posse. *N.* Missum faciamus sermonem de moribus: de viribus ac virtutibus eloquendi nobis instituta est disputatio. *B.* Ego vero lubens missum fecero, nisi rhetores ipsi contenderent; bonum oratorem esse non posse, qui non sit idem vir bonus. Verum age: num tibi videtur esse vitiosa compositio, si dictio sequens incipiat ab iisdem syllabis, in quas desiit præcedens, velut Echûs imaginem ludicram referens?

Quod genus, ſi dicas: *ne mihi dona donato; ne feras referas voces; ne per imperitos ſcribas ſcribas Baſſo.* *N.* Fateor ineptam & abſurdam compoſitionem. *B.* Atqui talem proferunt ex amaſio noſtro Cicerone: O *fortunatam natam me conſule Romam.* *N.* Jam ſemel carmen excepi. *B.* Per me licebit; modo ſimul excipias illud, totum Ciceronem. Sed nondum elapſus es. En tibi nihilo meliorem compoſitionem ex oratione ſoluta refert Quintilianus: *Res mihi inviſæ viſæ ſunt, Brute;* aut, ſi malis Ciceroniano ſonare more, *inviſſæ viſſæ* ſunt. Ne quid calumnier interim de duobus moloſſis in clauſula. *N.* Iſthuc excidit in epiſtola familiari. *B.* Nihil repugno; tantum quæro, num exiſtimes imitandum? Certe fateris aliquid poſſe dici melius. *N.* Neſcio. *B.* Quid hic memorem de vocalium crebra colliſione, quæ reddit hiulcam & inamœnam orationem? Annon hoc quoque notatum eſt à doctis in Cicerone? Neglexit, inquies: nihil reclamo; modo fateamur quiddam eſſe, quod apud alios non ſit, aut ſit melius. Rurſus ex te quæram, ecquem noviſti ſcripto-

ptorem tam vigilantem, tamque felicem, ut non alicubi dormitarit? *N.* Quidni? Homines erant. *B.* Inter homines igitur numeras Ciceronem? *N.* Interdum. *B.* Utrum igitur putes esse consultius, imitari dormitantem Tullium, an vigilantem Sallustium, aut Brutum, aut Cæsarem? *H.* Quis non mallet vigilantem exprimere? *B.* Annon sic Homerum imitatus est Virgilius, ut multa correxerit, nonnulla reliquerit? Nonne sic Hesiodum, ut nusquam non vicerit? Nonne sic Horatius est Lyricos Græcos æmulatus, ut, ex unoquoque decerpens quod esset bellissimum, omnes post se reliquerit?

--*Ego*, inquit, *apis Matinæ*
More modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, uvidique
Tiburis ripas, operosa parvus
Carmina fingo.

Annon sic imitatus est Lucilium, ut quædam in illo sciens prætermiserit, ab aliis sumturus quod imitatione dignius esset? Quid alios commemorem? Num ipse M. Tullius tam ad-

mirabilem eloquentiam ex uno quopiam contraxit? An potius excuſſis Græcorum pariter ac Latinorum philoſophis, hiſtoricis, rhetoribus, comicis, tragicis, lyricis, demum ex omni ſcriptorum omnium genere ſuam illam divinam phraſim collegit, contexuit, abſolvit? Si modis omnibus libet imitari Ciceronem, & hoc illius exemplum imitemur. *H.* Non abſurde mihi, Noſopone, loqui videtur Bulephorus. *B.* Quid? Annon hoc ipſe docuit Cicero: *Caput artis eſſe diſſimulare artem?* Friget enim & fide caret, ac velut invidioſa timetur oratio, quæ ſignificationem artis dedit. Quis enim ab eo non metuat, qui fucum & vim parat animis noſtris? Itaque ſi feliciter Ciceronem imitari volumus, diſſimulanda cum primis eſt ipſa Ciceronis imitatio. At qui nuſquam diſcedit ab illius lineamentis; qui verba, figuras, numeros, ex illo concinnat, quædam imitans etiam non imitanda: (veluti quidam Platonis diſcipuli, adductis humeris præceptorem referebant; Ariſtotelis auditores ſubbalbum quiddam in loquendo

quo-

quod in eo fuisse legitur, reddebant:) quoniam manifestò præ se fert imitandi studium, cui videbitur ex animo loqui, aut quid laudis assequetur denique? Nimirum id quod assequuntur ii qui scribunt centones. Delectant fortassis, sed paulisper, sed otiosos duntaxat: cæterum nec docent, nec movent, nec persuadent. Summa laus est, probe tenet Virgilium, multo sudore concinnavit emblemata. *N.* Quo magis elucebit imitatio, hoc magis habebor *Ciceronianus*. Hæc est votorum summa. *B.* Recte dicis, si facundiam ostentationi paramus, non usui. Verum plurimum interest inter histrionem & oratorem. Illi delectasse satis est; hic etiam prodesse studet, si modo vir bonus est; quod si non est, nec oratoris nomen tueri poterit. Jam demonstravimus, opinor, in Cicerone quædam esse vitanda; quædam in eo desiderari; quædam sic adesse, ut in his ab aliis hac parte felicioribus superetur. Sed donemus, nullum esse virtutum aut ornamentorum genus, in quo non sit cæteris vel par vel superior: certe in aliis alia magis emi-

nent ob raritatem, quæ in M. Tullio ornamentorum denſitate velut obſcurantur: perinde quaſi ſi certas ſtellas notare velis, facilius id facies, ſi raræ luceant, quam ſi tota cœli pars pariter inſignibus obſita ſit. Itidem ſi veſtem conſpicias totam gemmis obtectam, minus te capient ſingulæ. *N.* Qui totum imbibit Ciceronem, non poteſt aliud quam Ciceronem exprimere. *B.* Eodem revolvimur. Fatebor eloquentem, qui Ciceronem feliciter expreſſerit: ſed qui totum, exceptis vitiis: &, ne ſim iniquior, una cum ipſis vitiis, modo totum. Feremus illud ſubinane, feremus mentum læva demulceri, feremus & collum oblongum atque exilius, feremus perpetuam vocis contentionem, feremus indecoram parumque virilem in initio dicendi trepidationem, feremus jocorum intemperantiam; & ſi qua ſunt alia, in quibus M. Tullius vel ſibi, vel aliis diſplicuit: modo ſimul & illa exprimant, quibus iſta vel texit ille vel penſavit. *N.* Utinam id mihi contingat ante ſupremum vitæ diem! *B.* Iſthuc ut contingat nunc agimus, Noſopone. At

vide

vide quam multa quam paucis complectitur, qui totum dicit Ciceronem. Sed, ô Musæ! quantulam Ciceronis portionē nobis referunt isti Ciceronis limii, qui voculis, formulis, tropis & clausulis aliquot, hinc atque hinc corrogatis, summam modo cutem, seu bracteam potius Ciceronis nobis exhibent? Sic olim Atticum dicendi genus quidam æmulabantur; quum interim essent aridi, jejuni, frigidique, semper, ut ait ille, *manum intra pallium habentes;* nec subtilitatem, nec sanitatem, nec gratiam Atticorum ulla ex parte possent assequi. Optimo jure Quintilianus irridet quosdam, qui se germanos Ciceronis haberi volebant, quod aliquoties his vocibus absolverunt clausulam, *esse videatur;* propterea quod ea semel atque iterum Ciceroni forsitan excidit, si periodum longiore ambitu circumduxisset, quod initiis præsertim nonnunquam fecit ille. Nec hodie parum multi sunt istorum similes, qui sese valde mirantur, & alteros, ut aiunt, Cicerones esse credunt, si prima vox orationis sit *quanquam*, aut *etsi*, aut *animadverti*, aut

cum, aut *ſi*, quod Officiorum libros ſic ordiatur M. Tullius: *Quanquam te, Mace fili;* periodum vix nono verſu abſolvens. Et pro Lege Manilia: *Quanquam mihi ſemper.* Laudatiſſimam illam pro *Milone* orationem ſic auſpicatus eſt: *Etſi vereor, judices.* Rurſus Philippicarum duodecimam: *Etſi minime decere videtur.* Item pro C. Rabirio: *Etſi, Quirites.* Et epiſtolis aliquot ſimile eſt initium. Et haud ſcio an iſti libros ad Herennium ob id tribuant Ciceroni, quod ab *etſi* accipiat exordium. Porro de Finibus bonorum librum quintum ſic incipit: *Cum audiviſſem Antiochum, Brute.* Tuſculanas quæſtiones ſic auſpicatur: *Cum defenſionum laboribus.* Et ejuſdem operis quartum librum: *Cum multis in locis noſtrorum hominum ingenia.* Pro L. Flacco: *Cum in maximis periculis.* Item pro Domo ſua ad Pontifices: *Cum multa divinitus.* Iterum pro Plancio: *Cum propter egregiam.* Ad hæc librum de Natura Deorum primum: *Cum multæ res in philoſophia.* Et Scipionis ſomnium: *Cum in Africam veniſſem.* Pro Rabirio dicens ſic orditur: *Animadverti,*

judi-

judices. Rursus ad Brutum de Paradoxis Stoicorum: *Animadverti, Brute.* Pro L. Cornelio Balbo sic orditur: *Si autoritas Patronorum.* Pro P. Sestio: *Si quis antea, judices.* Pro Cæcina: *Si quantum in agro.* Pro Archia poëta: *Si quid est in me ingenii.* In Vatinium testem: *Si tua tantummodo, Vatini.* Ad Equites, iturus in exilium: *Si quando inimicorum.* Ad Senatum post reditum: *Si, P. C. vestris.* Pro M. Cœlio: *Si quis, judices.* De Provinciis consularibus: *Si quis vestrum,* P.C. Quid autem magis ridiculum, ac Ciceroni dissimilius esse possit; quam nihil habere Ciceronis, præter tales voculas in orationis exordio? de quibus si quis percontetur Ciceronem, cur ab iis vocibus sit orsus, respondebit, opinor, quod in Insulis fortunatis Luciano respondit Homerus, roganti, cur primam Iliadis dictionem voluerit esse Μῆνιν, nam hæc quæstio multis seculis torserat Grammaticos: *Illud,* inquit, *tum forte venit in mentem.* Consimilis impudentiæ sunt, qui sibi plus quam *Ciceroniani* videntur, quod aliquoties insulciant *etiam atque etiam* pro *vehemen-*

menter; & *majorem in modum* pro *valde*; *identidem* pro *ſubinde*; *cum* & *tum* quoties inæqualis momenti ſunt quæ connectimus, *tum* & *tum* quoties æqualis; *tuorum in me meritorum*; *quid quæris* pro *in ſumma*, aut *breviter*; *non ſolum peto, verum etiam oro contendoque*; *antehac dilexiſſe tantum, nunc etiam amare mihi videor*; *valetudinem tuam cura, & me, ut facis, ama*; *non ille quidam vir malus, ſed parum diligens*: qua loquutionis formula ſic M. Tullius videtur delectatus, ut in eadem pagina crebro repetitam invenias. Simile eſt, cum per *illud* pronomen indicat non quod præceſſit, ſed quod mox ſequitur. Et in Epiſtolis, fortaſſis ſemel atque iterum dixit *cogitabam in Tuſculanum*. Itaque *Ciceronianus* ſibi videtur, qui ſubinde dixerit *Romam cogitabam*, pro eo quod erat, *in animo habebam*, ſive *ſtatueram proficiſci Romam*. M. Tullius anni numerum non aſſcribit epiſtolis; ſed tantum menſis diem: & *Ciceronianus* non erit, ſi quis a Chriſti natali annum aſſcripſerit; quod ſæpe neceſſarium eſt, ſemper utile? Iidem non ferunt, ſi quis hono-

ris

ris gratia, nomen ejus ad quem scribat, suo præferat; quod genus sit, *Carolo Cæsari Codrus Urceus salutem.* Par flagitium existimant, si quid dignitatis aut laudis addas proprio nomini; velut, *Inclito Pannoniæ Boœmiæque Regi Ferdinando Velius salutem dicit.* Nec Plinio juniori possunt ignoscere, quod *suum* appellat, si quando scribit amico; quum ejus facti nullum apud Ciceronem exstet exemplum. Ut parum *Tullianus* rejicietur, qui, quod exemplum à principum officiis mutuati docti quidam nuper usurpare cœperunt, summam ejus epistolæ cui respondere parat, in initio proponat; quod id nusquam factum sit à M. Tullio. Novi quosdam notatos ut solœcos, quod in salutatione pro S. D. posuerint S. P. D. id est, *salutem plurimam dicit;* quod negarent hoc apud Ciceronem inveniri. Nonnulli vero putant, & illud *Tullianum* esse, salutationem non in fronte, sed in tergo literarum ponere; quod his verbis admoneretur Lator, quas quibus deberet reddere, non sine salutationis officio. Quantula res facit, ut ab hac palma

deci-

decidamus? Multo vero minus erit *Ciceronianus*, qui ſalutarit hac formula: *Hilarius Bertulphus Levino Panagatho totius hominis ſalutem, aut ſalutem perpetuam.* Verum hic quoque longius aberit à *Ciceroniano*, qui ſic orſus fuerit epiſtolam: *Gratia, pax, & miſericordia à Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto.* Item qui pro *Cura ut recte valeas*, ita claudat epiſtolam: *Soſpitet te Dominus Jeſus;* aut, *Incolumem te ſervet Dominus totius ſalutis autor.* Quos riſus, quos cachinnos hic tollent *Ciceroniani?* Quid autem admiſſum eſt piaculi? Annon verba Latina ſunt, munda, ſonantia, atque etiam ſplendida? Jam ſi ſenſum introſpicias, quanto plus eſt hic, quam in *ſalutem dicit*, & *bene vale?* Quid vulgarius quam *dicere ſalutem?* Præſtat hoc officium herus ſervo, inimicus inimico. Quis autem crederet eſſe Latinum, *dicit illi ſalutem*, & *jubet illum ſalvere;* niſi nobis ſermonem hunc veterum conſuetudo commendaret? Hoc in aditu: jam in digreſſu *Vale* dicimus, & his quibus male precamur. Quanto melior emphaſis in

for-

formulis Christianorum, si modo vere & ex animo simus Christiani? *Gratia* declarat gratuitam condonationem admissorum: *pax* quietem & gaudium conscientiæ, quod Deum pro irato habemus propitium: *misericordia* dotes varias & corporis & animi, quibus suos locupletat arcani spiritus benignitas: quóque magis speremus nobis hæc fore perpetua, additur *à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo.* Quum *Patrem* audis, ponis servilem trepidationem, adscitus in affectum filii: quum *Dominum* audis, confirmaris adversus vires Satanæ. Non deseret ille quod tam care redemit, & unus potentior est universis Satanæ cohortibus. Quid suavius his verbis ei, qui jam hæc apud se sentit? quid utilius hac admonitione ei, qui nondum in hunc affectum transiit? Verbis itaque non vincimur, imo vincimus potius: sententia longe superamus. Restat illud decorum & aptum, quod ubique cum primis spectandum est. Ad hæc, quanto magis conveniunt homini Christiano, quam illa, *salutem dicit*, & *cura ut valeas?* Tantum sa-

faceſſat illa puerilis imaginatio, non ſic loquutus eſt Cicero. Quid miri, ſi non ſic loquutus eſt, quum rem ignorarit? Quot millia ſunt rerum, de quibus nobis frequenter dicendum eſt, de quibus M. Tullius ne ſomniavit quidem? At ſi viveret, nobiſcum eadem loqueretur. Annon igitur frigidi videntur imitatores, qui talium rerum obſervatiunculis referunt M. Tullium; ac diſſimulatis tot divinis viri virtutibus, numeris, tropis, formulis ac dictiunculis, ea imitantur quæ M. Tullio vel placuerunt, vel crebrius exciderunt? Hæc ad te quidem nihil attinent, Noſopone; ſed tamen, quoniam incidit ut de Ciceronis imitatoribus loqueremur, & hæc commemorare non abs re viſum eſt. Hoc hominum genus & nobis & ipſi Ciceroni pariter inviſum eſſe debet: nobis, qui vere Ciceronem conamur exprimere; quia per iſtos vocamur in jocum & fabulam, dum ex illorum æſtimamur ſtultitia: Ciceroni, qui per tales, ut ante diximus, imitatores non aliter infamatur, quam bonus præceptor per malos diſcipulos, probus vir per im-

pro-

probos liberos, formosa mulier per imperitum pictorem. Perspexit hoc Quintilianus, dum queritur: *Senecam infamari quorundum immodico studio, qui vitia duntaxat imitabantur.* Itaque fiebat, ut, qui Senecam non legerant, ex illorum scriptis Senecæ facundiam æstimarent. Quemadmodùm autem nulli magis se jactant venditantque de præceptorum ac majorum nomine, quam indocti discipuli & improbi filii, aliunde captantes virtutis opinionem, quum suis bonis eam conciliare non queant: ita nulli gestiunt insolentius nomine Ciceronis, quam qui sunt Ciceronis dissimillimi. Novi medicos insigniter artis quam profitebantur imperitos, qui, quo quæstum facerent uberiorem, celebris alicujus medici, quem vix viderant, se discipulos jactitabant; rogatique, cur præter artem hoc aut illud ministrarent ægrotis, convitio respondere solent: Num tu illo doctior? Hunc præceptorem sequor. Atqui illius, quem nominabant, pæne nihil imitabantur præter vitanda potius quam æmulanda: puta, si forte celebris ille fuit in respondendo con-

conſultoribus difficilior aut moroſior, vel in exigenda mercede durior. Quo tandem animo credis egregium illum medicum eſſe erga tales diſcipulos? *H.* Haud dubium quin peſſimo, niſi prorſus nullam habet exiſtimationis ſuæ rationem. *B.* Quonam reliquos ejuſdam medici veros & germanos diſcipulos? *H.* Æque malo; quod apud vulgus tales habentur diſcipuli, qualem experiuntur illum glorioſum impoſtorem. Atqui, ſi pateris ut orationis tuæ curſum interpellem, ſaxo ut videas. *B.* Licet. *H.* Quidam caſu viderat Eraſmum ſcribere calamo, cui ob brevitatem additum erat lignum: cœpit illico ſuis pennis alligare baculum, atque ita ſibi viſus eſt Eraſmico more ſcribere. Sed perge obſecro. *B.* Nec illepidum eſt, nec ἀπροσδόκητον quod narras. Cæterum ut inſtitutum proſequar. Annon audimus patres familias objurgantes male moratos filios: *Vos me redditis infamem & invisum civibus meis, vos obſcuratis imagines majorum, pudet me talium liberorum: ſi pergitis, abdicabo vos?* Nonne ad conſimilem modum audimus interdum

dum fratrem indignari fratri, quod illius improbis moribus detrimentum opinionis ſuæ capiat? Hoc animo probabile eſt Ciceronem eſſe in iſtos ridiculos ſimios; hoc animo nos eſſe decet, qui illius γνήσια τέκνα ſtudemus haberi. *N.* In re tam præclara non nihil eſt vel umbram aſſequi. *B.* Sit hoc aliquid iis, quibus ſatis eſt umbras vocari Ciceronis; ego nec Apollinis umbram dici me cupiam: malim enim eſſe vivus Craſſus, quam umbraticus Cicero. Verum ut quod inſtituimus pergamus; fac eſſe qui totum Ciceronem in verbis, figuris & numeris exprimat; quod ipſum tamen an multi poſſint neſcio: quantulum is habebit Ciceronis? Sit hoc in imitando Cicerone, quod Zeuxis fuit in effigiando corpore muliebri. Expreſſit lineamenta, colorem, ætatem, & ut ſummum artificium præſtiterit, affectus nonnihil, hoc eſt, dolentis, gaudentis, irati, metuentis, attenti, aut dormitantis. Hæc qui præſtitit, nonne quicquid ars poteſt abſolvit? Quantum licuit, vivam hominis ſpeciem in mutum ſimulacrum tranſtulit. Nec aliud

liud exigi poteſt à pictore. Agnoſcis formam ejus quæ depicta eſt; vides ætatem & affectus, fortaſſis & valetudinem: adde quod à quibuſdam effectum legimus; agnoſcit indolem & mores & vitæ ſpatium phyſiognomon. Sed immane quantum illic abeſt hominis? Quod ex ſumma cute conjici poteſt, expreſſum eſt. Cæterum quum homo conſtet ex anima & corpore; quantulum illic eſt unius partis, ejuſque deterioris? Ubi cerebrum, ubi caro, ubi venæ, ubi nervi & oſſa, ubi inteſtina, ubi ſanguis, ſpiritus & phlegma, ubi vita, ubi motus, ubi ſenſus, ubi vox & ſermo, denique ubi quæ ſunt hominis propria, mens, ingenium, memoria, conſilium? Quemadmodum quæ ſunt hominis præcipua, pictori ſunt inimitabilia: ita ſummas oratoris virtutes nulla aſſequitur affectatio; ſed à nobis ipſis ſumamus oportet. Verum à pictore nihil aliud exigitur, ſi præſtitit quod unum ars profitetur: à nobis, ſi totum Ciceronem exprimere volumus, multo aliud requiritur. Si noſtrum ſimulacrum, quo M. Tullium effingimus, careat vita, actu,

actu, affectu, nervis & ossibus, quid erit imitatione nostra frigidius? Sed multo magis erit ridiculum, si tuberibus, nævis, cicatricibus, aliave membri deformitate demum efficiamus, ut lector agnoscat nos legisse Ciceronẽ. *H.* Istius generis pictor quidam nuper risui nobis fuit. Susceperat effingendum ad vivam formam Murium sodalem nostrum: quumque veram hominis formam reddere non posset, circumspectabat si quid haberet in corpore seu vestitu notabile. Æstate cœperat, jamque magna ex parte tabulam absolverat; pinxerat annulum quem gestabat, pinxerat crumenam & cingulum, tum pileum capitis diligenter expressit. Animadvertit illi in lævæ manus indice esse cicatricem; eam expressit accurate. Tum in dextra, qua manus peninsula brachio committitur, tuber insigne; nec hoc prætermisit. Rursus in supercilio dextro pilos aliquot in diversum flexos reddidit. Item in bucca læva cicatricem effinxit, vulneris vestigium. Ubi reversus, nam crebro redibat ad exemplar, vidisset barbam demessam,

effin-

effinxit novum mentum: rurſus ubi barbam aliquantulum proveniſſe, quia magis id placebat, mutavit illi mentum. Interim oborta eſt Murio febricula: ea, ut ſolet recedens, in labium eruperat; pictor expreſſit puſtulam. Tandem venit hyems: ſumtum eſt aliud pileum; mutavit ille picturam: ſumta eſt veſtis hyberna, pellibus ſubducta; pinxit novam veſtem. Rigor mutârat colorem, & cutem, ut ſolet, contraxerat; mutavit totam cutem: inciderat pituita, quæ ſiniſtrum oculum vitiarat, & naſum, dum frequenter emungitur, reddiderat & aliquanto majorem, & multo rubicundiorem; pinxit illico novum oculum & naſum novum. Si quando vidiſſet impexum, exprimebat capillorum inæqualitatem; rurſum ſi pexum, componebat capillitium: forte dormitabat Murius dum pingeretur, expreſſit dormitantem: ſumſerat pharmacum horâtu medici; ea res addidit aliquid ſenii; mutavit faciem. Si veram ac nativam hominis formam potuiſſet exprimere, non confugiſſet ad hæc παράγγα. Itaque ſi ad iſtum modum imi-

imitemur Ciceronem, nonne merito clamet in nos Horatius:

O imitatores, servum pecus! ut mihi sæpe
Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus?

Sed finge nos feliciter expressisse in Cicerone, quicquid hominis exprimere potest absolutus pictor: ubi pectus illud Ciceronis, ubi rerum tam copiosa, tam felix inventio, ubi dispositionis ratio, ubi propositionum excogitatio, ubi consilium in tractandis argumentis, ubi vis in movendis affectibus, ubi jucunditas in delectando, ubi tam felix ac promta memoria, ubi tantarum rerum cognitio, denique ubi mens illa spirans etiamnum in scriptis, ubi genius ille peculiarem & arcanam afferens energiam? Hæc si absint, quam erit frigidum imitationis nostræ simulacrum! *N.* Ita diserte tu quidem, Bulephore: sed quorsum spectant, nisi ut adolescentes ab effingendo Cicerone deterreas? *B.* Bona verba, Nosopone. Quin potius eo spectant hæc omnia, ut contemto similorum quorundam inepto tu-

tumultu, Ciceronem, quatenus licet, & totum & feliciter imitemur. *N.* Hîc ſane rem eandem agimus. *B.* Id ni fiat dextre; futurum eſt ut, ſedulo quidem ſed parum feliciter æmulando, Ciceronis diſſimillimi reddamur. Nihil enim periculoſius eſſe ſcio, quam affectare Ciceronis imaginem. Male ceſſit Gigantibus affectâſſe ſedem Jovis. Nonnullis exitium attulit evocâſſe Deos. *Periculoſæ plenum opus aleæ eſt*, divinam illam & humana natura ſuperiorem exprimere linguam. Cicero naſci fortaſſis poteſt aliquis, fieri nemo. *N.* Quid nunc ais? *B.* Quia virtutes illius ut ſummæ ſunt, ita vitiis ſunt proximæ. Porro fieri non poteſt, quin imitatio defluat ab eo, quod ſequi tantum non etiam vincere ſtudet. Proinde quo impenſius affectas illius ſimulacrum, hoc vitio propior es. *N.* Non ſatis intelligo quid dicas. *B.* Efficiam ut intelligas. Nonne medici corporis optimam valetudinem prædicant periculoſiſſimã, quod adverſæ valetudini ſit proxima? *N.* Audivi. Quid tum poſtea? *B.* Summa monarchia nonne tyrannidi proxima

xima eſt? *N.* Aiunt. *B.* Et tamen ſumma monarchia nihil eſt melius, ſi abſit tyrannis. Et ſumma liberalitas nonne vicina eſt profuſionis vitio? Et ſumma ſeveritas annon affinis eſt truculentiæ? *N.* Sane. *B.* Et ſumma feſtivitas urbanitaſque nonne ad ſcurrulitatis ac levitatis accedit viciniam? *N.* Deſine commemorare cætera, finge me de ſingulis eſſe confeſſum. *B.* Prius audies illud Horatianum:

---Brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio: ſectantem levia, nervi
Deficiunt animique: profeſſus grandia, turget.

Ita qui affectant Atticiſmum, pro argutis ac venuſtis fiunt aridi: qui genus Rhodienſe, diſſoluti: qui Aſiaticum, tumidi. Laudata eſt in Salluſtio compoſitionis brevitas: nonne ſi quis hanc ſuperſtitioſe conetur æmulari, periculum ſit ne conciſus & abruptus evadat? *N.* Fortaſſe. *B.* Prædicatus eſt in Demoſthene verborum & argumentorum modus, cui nihil poſſis detrahere. *N.* Ita cenſuit Quintilianus. *B.* Ad hanc laudem æmulandam, ſi

quis

quis componat ſe anxie, quo Demoſthenicus videatur, periculo vicinus eſt, ne minus dicat quam oportet. Applauditur Iſocratis ſtructuræ numeriſque: huc qui vehementer annitatur, in periculum veniet, ne ſuperſtitione compoſitionis ſit moleſtus, & artificii jactatione fidem amittat. Senecæ laudata eſt copia: hujus incautus ac ſedulus æmulator periclitatur, ne redundans & immodicus evadat pro copioſo. Bruti gravitatem ſi æmuleris anxie, fortaſſe triſtis & aſper evades. Laudatur Criſpi jucunditas: hujus æmulator veniet in diſcrimen, ne pro jucundo fiat ineptus ac levis. Novi qui cum mirabilem illam Ovidii facilitatem conarentur exprimere, verſus effutirent, & nervis & ſpiritu carentes. Et, ne ſingulos commemorando tibi fiam moleſtus, dicam in genere quod reſtat. In quibuſdam eminet argumentandi ſubtilitas: hanc qui vehementer affectat, periclitatur, ne vel frigidus vel obſcurus evadat. In aliis admiramur felicem artis neglectum: hoc qui contendit effingere, fortaſſis in vulgare dicendi, vel potius gar-

garriendi genus incidet. In alio dilucet ſumma artis obſervatio: id qui nitatur exprimere, incidet in ſcenicum quoddam dicendi genus. Atticæ frugalitati proxima eſt exilitas, copioſo verborum fluxui vicina eſt loquacitas. Summam in movendis affectibus δεινότητα excipit inſaniæ ſpecies, ut granditatem faſtus, aſſeverandi fiduciam improbitas. *N.* Confeſſa prædicas. *B.* Ex his vero ſunt quædam, quæ ſic eminent in autoribus, ut pro vitiis habenda ſint, niſi junctis virtutibus penſarentur: quemadmodum in Seneca compoſitionis abruptum, & ſententiarum immodicam denſitatem multæ virtutes excuſant, ut præceptorum ſanctitas, verborum rerumque ſplendor ac jucunditas orationis. Nec Iſocratis laudaretur compoſitio, niſi perſpicuitas dictionis & ſententiarum gravitas illi patrocinaretur. *N.* Nihil adhuc audio falſi: cæterum quorſum hæc tendant nondum video. *B.* Nimirum huc. Quum in uno Cicerone tam multa ſint hujuſmodi, periculoſa mihi videtur illius ſuperſtitioſa & addicta æmulatio; quando vir-

tutes, quibus iſta vel commendavit vel texit, æmulari non poſſumus. *N.* Quænam iſta dicis? *B.* Tam fluidum eſt illi dictionis genus, ut remiſſus ac ſolutus alicubi videri queat: tam exuberans verborum copia, ut redundans: tam artis obſervans, ut declamatori quam oratori propior, fidei jactura captans artificii gloriam: tam liber in inſectando, ut maledicus haberi poſſit: tam effuſus in jocos, ut Catoni conſul riſum moverit: tam blandus alicubi, ut abjectus: tam compoſitus, ut ſeverioribus ingeniis mollis ac parum vir dictus ſit. Hæc ut fateamur in Cicerone vitia non eſſe, propter inſignem illam naturæ felicitatem, quam decent, quæ facit, omnia, ut etiam virtutes ſint; ſic tamen inſunt, ut ob viciniam non careant ſpecie vitiorum ſub iniquo judice: attamen ille reprehenſionem omnem eximiis ac plurimis virtutibus penſavit; ut omnium judicio calumniator & impudens habeatur, qui conetur aliquid in hujus oratione reprehendere. Verum has virtutes non ſtudemus exprimere, &, ſi Fabio credimus, ſunt inimitabiles; nec ab exẽplo præceptiſve

peti

peti possunt, sed à Minerva. Hæ vero si absint; qualis erit eorum, quæ commemoravimus, imitatio? Colligimus igitur, nullius imitationem periculosiorem esse quam Ciceronis: non tantum eo nomine, quod summus orator, & extra omnem ingeniorum aleam positus sit; (quo titulo Flaccus ab æmulatione Pindari deterret, videlicet Icari exemplo) verum etiam quod pleraque in illo sic summa sunt, ut vitiis sint proxima. Hic nimirum præcipitii discrimen. *N.* At prius conveniebat inter nos, quæ maxime eminent ad imitationem esse accommodatissima; quo videlicet ut nonnihil decidas ab eo, quod effingere studes, tamen laudem auferas rectæ dictionis. *B.* Aliud est eadem reddere, aliud similia; aliud imitari præscriptum, aliud servire; necnon aliud sequi. Denique defluit ab exemplo, qui non reddit & illa quæ reprehensionem excludunt. Atqui hæc Fabius judicat fere inimitabilia felicibus etiam ingeniis. *N.* Atqui ego ad hujus laudis ambitum non recipio nisi vehementer eximia quædam ac Diis proxima ingenia; quibus si accesserit

indefatigabile ſtudium, ita demum ſpes eſt fore ut feliciter exprimant phraſim Tullianam. *B.* Fortaſſe, ſed ita raros ut numerari non valeant. Jam ſunt arguti quidam qui diſtinguunt imitationem ab æmulatione; ſiquidem imitatio ſpectat ſimilitudinem, æmulatio victoriam. Itaque ſi totum & unum Ciceronem tibi propoſueris, non in hoc tantum ut illum exprimas, verum etiam ut vincas; non prætercurrendus erit, ſed relinquendus magis. Alioqui ſi illius copiæ velis addere, fies redundans: ſi libertati, fies petulans: ſi jocis, fies ſcurrilis: ſi compoſitioni, fies pro oratore cantor. Itaque fit, ut, ſi Tullium æquare ſtudeas, pericliteris ne hoc ipſo pejus dicas; quod divinas hominis virtutes, quibus ea penſavit quæ vel vitia ſunt vel vitio proxima, non poſſis aſſequi, cætera nimirum aſſequutus: ſin coneris & antevertere, etiam ſi in illis, quæ nullo ſtudio poſſis aſſequi, paria cum illo facias, tamen vitioſum erit quicquid Ciceroni fuerit adjectum; de quo vere pronunciatum videtur, quod illius eloquentiæ nihil poſſit addi,

di, quemadmodum Demosthenis nihil demi. Vides, Nosopone, periculum. *N.* Nihil me terret periculum, modo tandem hoc laudis assequi liceat, ut dicar *Ciceronianus*. *B.* Hæc omnia si contemnis, est alius scrupus qui magis urget animum meum, si non gravaberis audire. *N.* Utere pactis arbitratu tuo. *B.* An censes illum hominem eloquentis nomen promereri, qui non dicat apte? *N.* Nequaquam: quandoquidem hæc præcipua virtus est oratoris, apposite dicere. *B.* Verum illud appositum unde perpenditur? nonne partim à rebus de quibus verba fiunt: partim a personis tum dicentium, tum audientium: partim à loco, tempore, reliquisque circumstantiis? *N.* Maxime. *B* *Ciceronianum* autem nonne præstantem oratorem esse vis? *N.* Quidni? *B.* Itaque non erit *Ciceronianus*, si quis in theatro differat de Stoicorum paradoxis, deque Chrysippeis argutiis: aut apud Areopagitas in capitis discrimine lasciviat facetiis: aut de re culinaria verbis ac figuris tragicorum loquatur? *N.* Iste nihilo minus ridiculus erit orator, quam si quis in tragi-

co cultu ſaltet Atellanas: aut feli, quod eſt in proverbiis, inducat crocoton, ſimiæ purpuram, Bacchum, aut Sardanapalum leonis exuvio & clava exornet Herculis. Nihil enim laudis meretur quamlibet per ſe magnificum, ſi ſit ineptum. *B.* Et commode reſpondes & vere. Ergo M. Tullius, qui ſuo ſæculo dixit optime, non optime dixiſſet, ſi ætate Catonis Cenſorii, Scipionis, aut Ennii, ſimili modo fuiſſet loquutus. *N.* Non tuliſſent aures comtum illud & numeroſum dictionis genus, nimirum horridioribus aſſuetæ: nam iſtorum oratio moribus illorum temporum congruebat. *B.* Dicis igitur orationem quaſi veſtem eſſe rerum? *N.* Aio, niſi mavis picturam dici. *B.* Veſtis igitur quæ decora eſt puero, non decet ſenem: nec quæ fœminæ congruit, conveniret viro: nec quæ decet in nuptiis, deceret in funere: nec quæ laudi dabatur olim ante annos centum, nunc probaretur. *N.* Imo ſibilis omnibus & riſu omnium exciperetur. Contemplare in picturis non admodum vetuſtis, fortaſſis ante annos ſexaginta editis, cultum mulier-

cu-

cularum aulicarum ac procerum: quo si quis nunc prodeat in publicum, futurum sit ut putribus malis à pueris ac morionibus lapidetur. *H.* Verissima narras. Quis enim nunc ferat in honestis matronis cornua, pyramides, metasque prælongas in vertice prominentes, frontes ac tempora pilis arte vulsis glabra ad medium prope cranium: in viris pileorum toros cum ingenti cauda pensili, oras vestium insectas, toros in humeris tumentes, cæsariem duobus digitis supra aures derasam, vestem longe breviorem quam ut ad genua porrigatur vix pudenda tegentem, calceos rostris in immensum porrectis, catenam argenteam à genu ad talum usque revinctam? Nec illis temporibus minus prodigiosus fuisset cultus, qui nunc habetur honestissimus. *N.* De veste convenit. *B.* Da nunc, si libet, ex pictoribus Apellem, qui suæ ætatis & Deos & homines optime pingere solitus est: si quo fato rediret in hoc sæculum, & tales pingeret Germanos, quales olim pinxit Græcos; tales monarchas, qualem olim pinxit Alexandrum; quum ho-

die tales non ſint, nonne diceretur male pinxiſſe? *N.* Male, quia non apte. *B.* Si tali habitu pingeret quis Deum patrem, qualem pinxit olim Jovem; tali ſpecie Chriſtum, quali tum pingebat Apollinem; num probares tabulam? *N.* Nequaquam. *B.* Quid, ſi quis Virginem matrem hodie ſic exprimeret, quemadmodum Apelles olim effigiabat Dianam; aut Agnen virginem ea forma, qua ille pinxit illam omnium literis celebratam Ἀνα-δυομένην; aut divam Theclam ea ſpecie, qua pinxit Laidem; num hunc diceres Apelli ſimilem? *N.* Non arbitror. *B.* Et ſi quis templa noſtra talibus ornaret ſimulacris, qualibus olim Lyſippus ornavit fana Deorum; num hunc diceres Lyſippo ſimilem? *N.* Non dicerem. *B.* Cur ita? *N.* Quia ſigna rebus non congruerent. Idem dicerem, ſi quis aſinum pingeret ſpecie bubali; aut accipitrem figura cuculi; etiamſi ad eam tabulam ſummam alioqui curam & artem adhiberet. *H.* Ego nec illum appellarem probum pictorem, qui deformem hominem in tabula formoſum redderet. *B.* Quid ſi alio-

alioqui ſummam artem præſtaret? *H.* Non artis expertem tabulam dicerem, ſed mendacem. Potuiſſet enim aliter pingere, ſi voluiſſet: cæterum ei, quem expreſſit, vel blandiri maluit vel illudere. Sed quid? Num hunc putas probum artificem? *N.* Ut ſit, hic certe non præſtitit. *B.* Bonum igitur virum exiſtimas? *N.* Nec bonum artificem, nec bonum virum. Siquidem caput artis eſt, rem, ut eſt, oculis repræſentare. *B.* Ad hoc non eſt magnopere opus eloquentia Ciceroniana. Nam veſtri rhetores permittunt oratori mentiri nonnunquam; res humiles verbis attollere; magnificas dejicere; quod ſane præſtigii genus eſt, obrepere inſidiis in animum auditoris; poſtremo movendis affectibus, quod veneficii genus eſt, vim afferre mentibus. *N.* Verum ubi dignus eſt auditor, qui fallatur. *B.* Sed hæc interim mittamus alieniora. Mihi ſatis eſt, quod amictum non probas corpori parum accommodum: quod picturam damnas non aptam ei rei quam profiteretur ſe velle effingere. *N.* Sed quem exitum habituræ ſunt iſtæ tuæ

Socraticæ εἰσαγωγαί? *B.* Videlicet huc ibam, mi Nosopone. Hoc mihi tecum convenit, Ciceronem omnium optime dicere. *N.* Convenit. *B.* Nec *Ciceroniani* pulcherrimum mereri cognomen, nisi qui similiter possit dicere. *N.* Prorsus. *B.* Tum ne bene quidem dicere, qui non dicat apte. *N.* Convenit & isthuc. *B.* Ut autem apte dicamus ita demum fieri, si sermo noster personis & rebus præsentibus congruat. *N.* Scilicet. *B.* Quid? Videtur præsens seculi status cum eorum temporum ratione congruere, quibus vixit ac dixit Cicero; quum sint in diversum mutata religio, imperium, magistratus, respublica, leges, mores, studia, ipsa hominum facies, denique quid non? *N.* Nihil simile. *B.* Quid igitur frontis habeat ille, qui à nobis exigat ut per omnia Ciceronis more dicamus? Reddat is nobis prius Romam illam, quæ fuit olim; reddat senatum & curiam, patres conscriptos, equestrem ordinem, populum in tribus & centurias digestum; reddat augurum & aruspicum collegia, pontifices maximos, flamines & vesta-

ſtales, ædiles, prætores, tribunos plebis, conſules, dictatores, Cæſares, comitia, leges, ſenatus conſulta, plebiſcita, ſtatuas, triumphos, ovationes, ſupplicationes, fana, delubra, pulvinaria, ſacrorum ritus, Deos Deaſque, Capitolium & ignem ſacrum; reddat provincias, colonias, municipia, & ſocios urbis rerum dominæ. Porro quum undequaque tota rerum humanarum ſcena inverſa ſit; quis hodie poteſt apte dicere, niſi multum Ciceroni diſſimilis? Adeo mihi videtur hoc quod agebamus in diverſum exiſſe. Tu negas quemquam bene dicere, niſi Ciceronem exprimat: at res ipſa clamitat neminem poſſe bene dicere, niſi prudens recedat ab exemplo Ciceronis. Quocunque me verto, video mutata omnia; in alio ſto proſcenio; aliud conſpicio theatrum; imo mundum alium. Quid faciam? Chriſtiano mihi dicendum eſt apud Chriſtianos de religione Chriſtiana: num ut apte dicam, imaginabor me vivere ætate Ciceronis; & in frequente Senatu apud Patres conſcriptos in arce Tarpeja dicere; & ex orationibus, quas

in

in Senatu dixit Cicero, voculas aliquot, figuras & numeros emendicabo? Habenda eſt concio apud promiſcuam multitudinem, in qua ſunt & virgines & uxores & viduæ: dicendum eſt de laude jejunii, de pœnitentia, de fructu orandi, de utilitate eleemoſynarum, de ſanctitate matrimonii, de contemtu rerum fluxarum, de ſtudio divinarum literarum: quid hic opitulabitur mihi Ciceronis eloquentia, cui quemadmodum res, de quibus dicendum eſt, erant ignotæ; ita non potuerunt uſitata eſſe vocabula, quæ poſt illum nova cum rebus novis exorta ſunt? Annon frigidus orator erit, qui ad has materias veluti pannos Ciceroni detractos affuat? Referam non rumore perlata, ſed quod his auribus audivi, his oculis conſpexi. Florebant id temporis Romæ præter cæteros dicendi laude Petrus Phœdrus, & Camillus hoc ætate minor, ſed eloquendi viribus major, niſi quod ille jam hujus laudis arcem occupârat: verum horum neuter, ni fallor, genere Romanus erat. Erat autem cuipiam delegata provincia, qui de morte

morte Christi diceret die sacro, quem parasceves appellant, idque apud summum Pontificem. Aliquot ante diebus ad eam orationem audiendam sum invitatus ab eruditis. Cave, inquiebant, ne desis: nunc demum audies, quid Lingua Romana sonet in ore Romano. Adfui percupide, adstiti suggesto proximus, ne quid effugeret. Aderat ipse Julius secundus, qui id solet, valetudinis opinor causa, admodum raro: aderat frequens Cardinalium Episcoporumque consessus, ac præter ignobilem turbam, docti plerique qui tum Romæ agebant. Nomen oratoris non edam, ne cui videar hominis probi & eruditi famam arrodere voluisse. Erat hoc animo quo tu nunc es, Nosopone, nimirum Ciceronianæ facundiæ candidatus. Procœmium & peroratio oratione pene tota longior, consumebatur prædicandis Julii secundi laudibus; quem appellabat *Jovem Opt. Max. qui dextra omnipotente tenens ac vibrans trisulcum & inevitabile fulmen solo nutu faceret quicquid vellet.* Quicquid aliquot annis gestum

ſtum fuerat in Galliis, in Germania, in Hiſpaniis, in Luſitania, in Africa, in Græcia, id unius natu perfectum eſſe prædicabat. Atque hæc quidem Romæ Romanus, ore Romano, ſonoque Romano. Sed quid hæc ad Julium Chriſtianæ religionis antiſtitem, Chriſti vices gerentem, Petri & Pauli ſucceſſorem? Quid hæc ad Cardinales & Epiſcopos reliquorum Apoſtolorum vicem obtinentes? Jam argumento, quod ſuſceperat tractandum, quid ſacratius, quid verius, quid mirabilius, quid ſublimius, quid commovendis affectibus accommodatius? Quis hic, vel vulgari quapiam eloquentia præditus, non ſaxeis etiam hominibus excitet lacrymas? Conſilium orationis hoc erat, ut primum Chriſti mortem faceret luctuoſam; mox, in diverſum flexa dictione, redderet glorioſam ac triumphalem: nimirum ut nobis exhiberet exemplum Ciceronianæ δεινώσεως, qua potuit auditorum animos in quemcunque vellet affectum rapere. *H.* Quid? Succeſſitne? *B.* Mihi, cum maxime tractaret affectus illos tragicos, quos rhe-

rhetores appellant πάθη, ne quid fingam, ridere lubebat. Nec quemquam in toto illo conſeſſu vidi pilo triſtiorem; cum totis eloquentiæ viribus exaggeraret indignos innocentiſſimi Chriſti cruciatus. Rurſum nec tantulo hilariorem quemquam; cum totus in hoc eſſet, ut mortem illam redderet nobis triumphalem, plauſibilem & glorioſam. Commemorabat Decios & Q. Curtium, qui ſe pro ſalute reipublicæ Diis Manibus devoviſſent. Item Cecropem, Menœcium, Iphigeniam, & alios aliquot, quibus patriæ ſalus ac dignitas ipſa vita fuiſſet charior. Deplorabat autem valde lugubriter, quod fortibus viris, qui ſuis periculis reipublicæ ſubveniſſent, publicis decretis relata eſſet gratia; aliis in foro poſita ſtatua aurea; aliis decretis honoribus divinis: Chriſtum pro ſuis benefactis ab ingrata Judæorum gente præmii loco tuliſſe crucem, dira paſſum, ſummaque affectum ignominia. Atque ita nobis bonum illum & innocentem virum, deque gente ſua optime meritum, reddebat miſerandum; quaſi Socratis aut

Pho-

Phocionis mortem deploraſſet, qui, cum nihil admiſiſſent ſceleris, civium ſuorum ingratitudine coacti ſunt cicutam bibere ; aut Epaminondæ, qui ob res præclare geſtas compulſus eſt capitis cauſam apud ſuos dicere; aut Scipionis, qui poſt tot in Rempublicam merita exſulatum abiit; aut Ariſtidis, quem populus Athenienſium non ferens cognominis invidiam, quod ob inſignem morum integritatem vulgo *Juſtus* diceretur, oſtraciſmo juſſit in exſilium proficiſci. Quæſo quid his dici potuit frigidius aut ineptius ? Et tamen Ciceronem pro viribus æmulatus eſt. Cæterum de arcano ſupremi Numinis conſilio, quod hac inaudita ratione voluit genus humanum à Diaboli tyrannide redimere per mortem unici Filii; tum de myſteriis, quid ſit commori Chriſto, quid ſit cum illo ſepeliri, quid cum illo reſurgere, nulla mentio. Deplorabatur illius innocentia, traducebatur Judæorum ingratitudo: at non deplorabatur noſtra malitia, noſtra ingratitudo ; qui ſic redemti, tot beneficiis affecti, ad tantam feli-

cita-

citatem inaudita benignitate provocati rursus illum, quod in nobis est, crucifigimus, ultro revoluti in Satanæ tyrannidem, servientes avaritiæ, luxui, voluptatibus, ambitioni, magis huic mundo dediti quam unquam fuerint Ethnici, quibus Deus nondum aperuerat hanc cœlestem philosophiam. Jam in diversa parte, cum ille magno conatu id ageret, ut gaudio gestiremus; magis libebat flere, cum audirem Scipionis, Pauli Æmilii, & C. Cæsaris triumphos, & imperatores in Deorum numerum relatos, cum Crucis triumpho conferri. Hujus gloriam qui voluisset verbis attollere, Paulum Apostolum potius sibi proponere debebat quam Ciceronem. Quam ille in hoc argumento exsultat, attollitur, superbit, regnat, triumphat, omnia mundana velut è sublimi despiciens, quoties in Crucis prædicationem incidit! Quid multis? Tam Romanè dixit Romanus ille, ut nihil audirem de morte Christi. Et tamen ille Ciceronianæ dictionis ambitiosissimus candidatus, *Ciceronianis* videbatur mi-

mirifice dixiſſe, cum de re nihil pene diceret, quam nec intelligere nec amare videbatur, neque quicquam appoſite dicebat, nec ullos moverat affectus. Tantum hoc laudis ferebat, quod Romanè pronunciaſſet, & aliquid Ciceronis retuliſſet. Probari poterat hoc velut indolis ingeniique ſpecimen, ſi à puero apud pueros in ſchola fuiſſet habita talis oratio. Verum ad talem diem, ad tales auditores, ad tale argumentum quid faciebat obſecro? *N.* Eſt ἀνάνυμος de quo loqueris? *B.* Nomen, ut dictum eſt, intelligi malo quam exprimi. Neque enim nobis hic propoſitum eſt ullius nomen aſpergere; ſed errorem vitandum oſtendimus, qui non paucis hodie ſub ſplendidi nominis umbra imponit. Hoc noſtrâ refert, Noſopone; nomen hominis, de quo narravi fabulam, ſcire nihil refert. Pertinet autem hoc & ad Ciceronis gloriam; cui video te ſupra modum favere, cui quotquot uſquam terrarum ſunt eruditi merito favent. Nam iſti ſimii non ſolum officiunt adoleſcentiæ ſtudiis ac moribus; verum

rum etiam ipſum Ciceronis nomen obſcurant, cujus cognomine ſeſe venditant, quum nihil ſint minus quam *Ciceroniani*. Quemadmodum eximiæ pietatis virum Benedictum infamant, qui ſe cultu tituloque jactant Benedictinos, etiam illi qui vita propius ad Sardanapalum accedunt quam ad Benedictum; & minime malitioſum hominem Franciſcum, qui ſe hujus cognomine jactitant, quum moribus Phariſæos propius exprimant quam Franciſcum; & Auguſtinum, qui ſe ferunt Auguſtinenſes, quum à doctrina ſimul ac pietate tanti viri procul abhorreant; fortaſſe & Chriſtum, qui præter titulum nihil habent illius: ita Ciceronis famæ labem aſpergunt, qui nihil habent in ore præter Ciceronem & *Ciceronianos*, quum nulli magis abſint ab eloquentia Ciceronis. Mirum quo ſupercilio Thomæ, Scoti, Durandi, ſimiliumque barbariem exſecrentur: & tamen, ſi res vocetur ad exactum judicium; illi, quum ſe nec eloquentes nec *Ciceronianos* jactitent, magis *Ciceroniani* ſunt quam iſti, qui poſtulant

lant haberi non jam *Ciceroniani*. ſed ipſi Cicerones. *N.* Monſtri ſimile narras. *B.* Non eſt monſtroſa veritas: qui mentitur, monſtri ſimile dicit. Nonne fateris Ciceroni ſimillimum, qui de quacunque re dicit optime? *N.* Fateor. *B.* Ad bene dicendum duæ potiſſimum res conducunt: ut penitus cognitum habeas, de quo dicendum eſt; deinde ut pectus & affectus ſuppeditet orationem. *N.* Iſta quidem docent Horatius & Fabius; & alioqui citra autorem veriſſima ſunt: quare non conabor inficias ire. *B.* Unde igitur *Ciceroniani* nomen feret, hoc eſt optime dicentis, qui de rebus loquitur, quas nec penitus intelligit, nec affectu pectoris proſequitur, ut ne dicam, quas plane negligit oditque? *H.* Id quidem perdifficile eſt. Qui poſſit enim pictor, quamvis probus artifex, effingere figuram hominis, quem nunquam attente contemplatus eſt, aut fortaſſe ne vidit quidem? Deinde vix impetres ab hoc artificum genere ut ſcite rem exprimant, niſi delectentur argumento. *B.* Illud

lud igitur in primis curandũ erat *Ciceronianis*, ut intelligant mysteria Christianæ religionis; nec minore studio libros sacros evolvant, quam Cicero philosophorum, poëtarum, jurisperitorum, augurum & historicorũ evolverat. His rebus instructus ille fuit Cicero. Nos qui nostræ professionis nec leges, nec prophetas, nec historias, nec interpretes attingimus, contemnimus etiam & horremus; quî tandem erimus *Ciceroniani*? Verum age: dicendum est apud Christianos, sed de re prophana, puta de creando magistratu, de matrimonio, aut de pangendo fœdere, aut de bello suscipiendo: an his de rebus Christiani apud Christianos eodẽ modo dicemus, quo Cicero Ethnicus loquebatur apud Ethnicos? Annon omnes vitæ nostræ actiones conferendæ sunt ad Christi regulas; à quibus si tua recedat oratio, jam nec bonus orator nec vir fueris bonus? Quod si is qui dicit, nullum verbum promit, nisi ex indice suo, quum res mortalium in diversum commutatæ novas voces invexerint; quid hic faciet *Ciceronianus*, cum eos non reperiet nec in M. Tullii libris nec

in

in ſuo elencho? Si rejicietur quic. quid non deprehenditur in libris illius; quum tam multi interciderint, vide quam multa vitabimus ut barbara quæ ſunt à Cicerone prodita: rurſus quam multa quibus erat uſurus, ſi de rebus hujuſmodi dicendum fuiſſet. Nuſquam apud Ciceronem legimus: *Jeſu Chriſti*, *verbi Dei*, *Spiritus ſancti*, aut *Trinitatis* vocabulum; nec *Evangelium*; nec *Evangeliſtam*; nec *Moſen*; nec *Prophetam*; nec *Pentateuchum*; nec *Pſalmos*; nec *Epiſcopum*; nec *Archiepiſcopum*; nec *Diaconum*; nec *Hypodiaconum*; nec *Acoluthum*; nec *Exorciſtam*; nec *eccleſiam*; nec *fidem*, *ſpem* & *charitatem*; nec *trium perſonarum eandem eſſentiam*; nec *hæreſim*; nec *ſymbolum*; nec *ſeptem eccleſiæ ſacramenta*; nec *baptiſmum*, aut *baptiſtam*; nec *confirmationem*; nec *euchariſtiam*; nec *ſacram unctionem*; nec *pœnitentiam*; nec *ſacramentalem confeſſionem*; nec *contritionem*; nec *abſolutionem*; nec *excommunicationem*; nec *eccleſiaſticam ſepulturam*; nec *miſſam*; nec alia innume-

numera, quibus conſtat omnis vita Chriſtianorum. Hic nuſquam non ſunt obvia; quacunque de re tentas dicere, ingerunt ſeſe vel nolenti. Quid faciet? quo ſe vertet hic ille ſuperſtitioſe *Ciceronianus?* An pro *Patre Chriſti* dicet *Juppiter Opt. Max.* pro *Filio* dicet *Apollinem*, aut *Æſculapium*; pro *virginum Regina* dicet *Dianam*; pro *eccleſia*, *ſacram concionem*, aut *civitatem*, aut *rempublicam*; pro *ethnico*, *perduellem*; pro *hæreſi*, *factionem*; pro *ſchiſmate*, *ſeditionem*; pro *fide Chriſtiana*, *Chriſtianam perſuaſionem*; pro *excommunicatione*, *proſcriptionem*; pro *excommunicare*, *diris devovere*, aut, quod nonnullis magis arridet, *aqua & igni interdicere*; pro *Apoſtolis*, *legatos*, aut *veredarios*; pro *Romano pontifice*, *flaminem Dialem*; pro *conſeſſu Cardinalium*, *Patres conſcriptos*; pro *ſynodo generali*, *S. P. Q. reip. Chriſtianæ*; pro *Epiſcopis*, *præſides provinciarum*; pro *electione Epiſcoporum*, *comitia*; pro *ſynodica conſtitutione*, *ſenatus conſultum*; pro *ſummo pontifice*, *ſummum civitatis præfectum*; pro

Chriſto capite eccleſiæ, ſummum reipublicæ præſidem; pro *diabolo, ſycophantam*; pro *propheta, vatem*, aut *divinum*; pro *prophetiis, oracula divum*; pro *baptiſmo, tincturam*; pro *miſſa, victimam*; pro *conſecratione corporis dominici, ſacroſanctum panificium*; pro *eucharistia, ſanctificum cruſtulum*; *pro ſacerdote, ſacrificulum*, aut *ſacrorum antiſtitem*; pro *diacono, miniſtrum*, aut *curionem*; pro *gratia Dei, numinis munificentiam*; pro *abſolutione, manumiſſionem*? Vides ex innumera vocabulorum turba quantulam portionem attigerim. Quid hic faciet Ciceronianæ phraſeos candidatus? Utrumne tacebit, an ad hunc modum immutabit recepta Chriſtianis vocabula? *N.* Quidni? *B.* Fingamus igitur exemplum. Hanc ſententiam; *Jeſus Chriſtus, verbum & Filius æterni Patris, juxta prophetias venit in mundum, ac factus homo ſponte ſe in mortem tradidit, ac redemit eccleſiam ſuam, offenſique Patris iram avertit à nobis, eique nos reconciliavit, ut per gratiam fidei juſtificati, & à tyrannide liberati inſera-*

mur

mur eccleſiæ, & in eccleſiæ communione perſeverantes poſt hanc vitam conſequamur regnum cœlorum; ſic efferet *Ciceronianus*: *Optimi Maximique Jovis interpres ac filius, ſervator, rex, juxta vatum reſponſa ex Olympo devolavit in terras, & hominis aſſumta figura, ſeſe pro ſalute Reipublicæ ſponte devovit Diis Manibus*; *atque ita concionem, ſive civitatem, ſive Rempublicam ſuam aſſeruit in libertatem, ac Jovis Optimi Maximi vibratum in noſtra capita falmen reſtinxit, noſque cum illo redegit in gratiam, ut perſuaſionis munificentia ad innocentiam reparati, & à ſycophantæ dominatu manumiſſi cooptemur in civitatem, & in Reipublicæ ſocietate perſeverantes, cum fata nos evocârint ex hac vita, in Deorum immortalium conſortio rerum ſummâ potiamur.* N. Ludis tu quidem, Bulephore. *B.* Ita me bene amet noſtra σωφία, rem ſeriam ago. Jam ſi uſus venerit ut de difficillimis dogmatum noſtrorum quæſtionibus ſit diſſerendum, quantum lucis habebit diſputatio, ſi talibus floſculis ornatus incedat ſermo?

Quid aliud quam ſumum ingeram materiæ tenebris? Quoties ad has ſalebras reſtitabit lector? Sed age: liceat hactenus ludere Ciceronis imagine; quid fiet, ubi res poſcet divinarum ſcripturarum teſtimonia? An cum erit citandum aliquid ex Decalogi præceptis; tantum adſcribam, *recita legem*? Cum pronuncianda erit conſtitutio ſynodi; adſcribam, *recita ſenatus conſultum*? Cum erit aliquid promendum ex Prophetis aut Apoſtolis; adſcribere ſat erit, *recita teſtimonium*? Sic enim omnino ſolet Cicero. Itaque vitabo, ne dictionem Ciceronianam verbis non Ciceronianis contaminem? *N.* Quid igitur? Num autor eris nobis ſic loquendi, quemadmodum ſcripſerunt Thomas & Scotus? *B.* Si melius dicit qui dicit aptius, ſic de rebus ſacris loqui præſtiterat, quam in his Ciceronem exprimere: quanquam eſt medium quiddam inter Scotos & Ciceronis ſimias: nec ſtatim male Latinum eſt, quod apud Ciceronem non exſtat; qui, ut ſæpe jam dictum eſt, nec exſtat totus, & ſi totus

tus exſtaret, non tractavit omnes materias, &, ſi tractaſſet omnes illorum temporum, noſtras res nec tractavit nec novit. Poſtremo, quod ad ſermonis proprietatem & elegantiam attinet, nec Ciceroni cedit M. Varro, & hac dote præfertur C. Cæſar. Neque enim M. Tullius fuit autor ac parens Romani ſermonis, ſed orator maximus, & in cauſſarum civilium actionibus primæ laudis; in aliis inferior nonnullis; in carmine frigidus; in vertendis Græcis parum felix: qualis futurus in cæteris, incertum. Si mihi de matrimonio dicendum ſit, cujus multò alia nunc eſt ratio quam fuit olim, & de quo M. Tullius nihil memoriæ prodidit; num verebor ex Ariſtotele, Xenophonte, Plutarcho, è divinis libris, è Tertulliano, Hieronymo, & Auguſtino, ſententias ac verba legere, ne cui videar parum *Ciceronianus*? Item ſi de re ruſtica præcipiendum fuerit, fas non erit ex Virgilio, Catone, Varrone, Columella decerpere quæ placent? Si barbarum habetur quicquid eſt novum & recens

natum, nulla vox non fuit aliquando barbara. Quam multa reperies apud ipſum Ciceronem nova; præſertim in his libris, in quibus tractat artem rhetoricam, aut rem philoſophicam. Quis ante Ciceronem audivit *beatitatem* & *beatitudinem*? Quid apud Latinos ſonat *finis bonorum*, cum apud illum ſignificet *ſummum bonum*, aut *id in quo quis ſtatuit ſummam felicitatem?* Quid nobis ſonat *viſum* & *viſio*, *ſpecies*, *præpoſitum* & *rejectum?* Quid Latinis auribus ſonat *occupatio*, quid *contentio*, quid *ſuperlatio*, quid *complexio*, quid *traductio*, quid *frequentatio*, *licentia*, *gradatio*, quid *ſtatus* & *conſtitutio*, quid *judicatio*, quid *continens*, quid *firmamentum*, quid *demonſtrativum genus*, quid *inductio*, quid *propoſitum*, quid *aggreſſio*, quid *inſinuatio*, quid *acclamatio*, quid aliæ voces innumeræ, quas aut prius Latinis inauditas auſus eſt fingere, aut in eam ſignificationem detorſit quam populus Romanus non agnoſcebat? Hoc ille reclamante ſæculo non eſt veritus facere, cum philoſophorum Græcorum dogmata Latinis auribus tra-

traderet; &, ut quod erat in præceptis rhetorum peculiaribus vocabulis in hoc proprie repertis explanaret, nonnullas peregrinas voces civitate Romana donavit: & nos piaculum admissum credimus, si, rebus novatis, vocibus aliquot novis utamur? Nulla est ars humana, cui non concedimus jus utendi suis vocabulis: licet Grammaticis dicere, *supinum* & *gerundium*: Mathematicis, *sesquialteram* & *superbipartientem*. Habent agricolæ & fabri propria suarum artium vocabula: & nos cœlum terræ miscemus, si nostræ religionis mysteria suis verbis explicemus? Voces aliquot Hebraicæ, complures Græcanicæ, (quoniam è Palæstina, Asia minore, & Græcia, primum ad nos dimanavit Christiana philosophia) una cum ipsis rebus invectæ sunt: quod genus sunt, *osanna*, *amen*, *ecclesia*, *apostolus*, *episcopus*, *catholicus*, *orthodoxus*, *hæreticus*, *schisma*, *charisma*, *dogma*, *chrisma*, *Christus*, *baptizo*, *paracletus*, *evangelium*, *evangelizare*, *evangelista*, *proselytus*, *catechumenus*, *exorcismus*, *eucharistia*, *symbolum*, *a-*

nathema: nonnullas priſci Chriſtianæ religionis Antiſtites uſurparunt, quo commodius poſſent de rebus tam ſublimibus diſſerere; cujuſmodi ſunt ὁμούσιος, quod nos *conſubſtantialis* vertimus, *fides*, *gratia*, *mediator*, & ſi qua ſunt alia, quæ antehac vel inaudita Latinis erant, vel non in eundem ſenſum uſurpata. Num igitur tanti nobis erit dici *Ciceronianum*, ut de rebus, de quibus ſolis erat loquendum, prorſus ſileamus: aut verbis, vel ab Apoſtolis traditis, vel à majoribus repertis, & in hunc uſque diem tot ſæculorum ſenſu receptis abſtinebimus, alia quædam in illorum locum pro ſuo quiſque arbitrio comminiſcentes? Imo *mel*, *piper*, & *ſinapi* cum ſuæ nationis vocabulis receperunt primum Græci, mox Latini: & nos faſtidimus aliquot dictiones, quæ nobis cum illa cœleſti philoſophia per Chriſtum, per Apoſtolos, per afflatos ſacro Spiritu Patres, veluti per manus traditæ ſunt; atque interim ad Ciceronem confugimus, inde mutuo ſumturi voces, videlicet ἐν τῇ φαυλῇ μύσει, quod apud

pud Græcos dici ſolet? Si quis nobiſcum ſummo jure contendat, citius diceret, Ciceronis verbis, figuris ac numeris, Chriſtianæ philoſophiæ majeſtatem fœdari. Verum iſtis non aſſentior; mihi placet in quavis materia nitor ac mundities orationis. At non ille dicit Ciceronianè, qui Chriſtianus apud Chriſtianos de re Chriſtiana ſic loquitur, quemadmodum olim Ethnicus apud Ethnicos de rebus prophanis loquutus eſt Cicero: ſed quemadmodum ille eo prædituſ ingenio quo tum erat, eo dicendi uſu, ea rerum noſtrarum cognitione qua tum prophanarum erat inſtructus; poſtremo ſic inflammatus ſtudio pietatis erga rempublicam Chriſtianam, quemadmodum tum vel gloria vel ſtudio flagrabat in urbem Romanam & in majeſtatem Romani nominis, dicturus eſſet hodie Chriſtianus apud Chriſtianos ſi viveret. Hoc qui præſtare valet, prodeat, & æquis animis feremus illum dici *Ciceronianum*, ſi tantopere ducitur hujus amore cognominis. Ipſe M. Tullius ſi viveret hoc rerum ſta-

tu, *Dei patris* nomen non judicaret minus elegans quam *Jovis Opt. Max.* nec minus decoris putaret accedere dictioni, ſi ſubinde repeteret *Jeſum Chriſtum*, quam ſi *Romulum*, aut *Scipionem Africanum*, aut *Curtium*, aut *Marcum Decium*: nec minus ſplendidum exiſtimaret *eccleſiæ Catholicæ* nomen, quam *Patrum conſcriptorum*, quam *Quiritium*, quam *Senatus populique Romani*. Diceret nobiſcum *fidem in Chriſtum*, diceret *infideles* qui à Chriſto ſunt alieni, diceret *paracletum Spiritum*, diceret *ſanctam Trinitatem*. Quod dico probabilibus argumentis colligi poteſt. Num illum deterruit elegantiæ ſtudium, quo minus in Philippicis, dum præit formulam ſenatusconſulti, utatur verbis ſolennibus magis quam Latinis? Annon in Topicis utitur verbis jureconſultorum longe alienis à phraſi rhetorica? An ille faſtidiſſet verba noſtræ philoſophiæ peculiaria? *N.* Mihi quidem videris ſatis feliciter declamare. *B.* Ad hæc, nonne gratia ſermonis bona ex parte pendet ex condituris & alluſionibus?

bus? At M. Tullius unde ſumit hæc condimenta? nonne ex Homero, Euripide, Sophocle, Ennio, Lucilio, Accio, Pacuvio, Nævio, tum ex philoſophorum & hiſtoricorum libris? *N.* Nimirum ſine his ornamentis ſordida ac trivialis eſt oratio. Hæc, ceu gemmæ floſculive intertexta, reddunt admirandum quod ſcribitur. *B.* Quid ſi nos eadem petamus ex Virgilio, Flacco, Ovidio, Seneca, Lucano, Martiale? Num hac parte diſſimiles erimus Ciceronis? *N.* Iſthuc concedunt, licet ægre. Habet enim apud Ciceronem neſcio quid majeſtatis antiquitas eorum, quorum dicta refert. *B.* Quî fit igitur ut nos exiſtimemus totam orationem conſpurcatam, ſi condimenta, quæ Cicero petebat Ethnicus ab Ethnicis, nos ex antiquiſſimis Prophetis, Moſe, Pſalmis, Evangelicis & Apoſtolicis literis petamus? Admirandam quandam gemmam appoſitam exiſtimamus, ſi quod Socratis dictum admiſcuerimus orationi: & maculam acceſſiſſe credimus, ſi quid admixtum erit è proverbiis Solomonis? An præ

Socrate nobis putet Solomon? Si quid ex Pindari Flaccive dictis fuerit interjectum, ſplendet oratio: & ſordeſcit, ſi quid è ſacris Pſalmis apte fuerit attextum? Pondus ac majeſtatem additam arbitramur orationi, ſi quam Platonis ſententiam inſeruerimus; & plurimum gratiæ deceſſiſſe videtur, ſi quam Chriſti ſententiam ex Evangelicis literis addiderimus? Unde hæc tam præpoſtera judicia? An Platonis ſapientiam vehementius admiramur quam Chriſti? An libri Spiritus cœleſtis afflatu proditi ſordent nobis præ ſcriptis Homeri, Euripidis, aut Ennii? Quin miſſam hic faciamus Spiritus ſacri mentionem, ne videamur divina cum humanis conferre. Hiſtoria, ſi fidem detrahas, ne nomen quidem hiſtoriæ meretur. Hic mihi confer, ſi lubet, fabuloſum Herodotum cum Moſe: confer hiſtoriam orbis conditi, exitus ab Ægypto, cum Diodori fabulis: confer libros Judicum & Regum cum Tito Livio, qui non raro ſecum ipſe diſſidet in rerum geſtarum narratione; tantum abeſt, ut nuſquam aberret

errèt à vero: confer Platonem cum Chriſto, Socratis ἰδιωτείαν cum Chriſti cœleſtibus oraculis: conſer Pſalmos nihil humani ſpirantes cum Pindaricis adulationibus: confer Solomonis canticum cum Theocriti næniis. Sive perſonas ſpectes, ſive rem, nihil ſimile. Habet divina ſapientia ſuam quandam eloquentiam; nec mirum, ſi nonnihil diverſam à Demoſthenica, ſeu Ciceroniana: quum alius cultus deceat ſummi Regis uxorem, alius glorioſi Militis amicam. Hoc dicturus eram, ſi quis verba cum verbis, figuras cum figuris, numeros cum numeris incipiat comparare. An dulcius ſonat auribus noſtris *Theſſala Tempe*, quam *mons Sion*? an plus habet majeſtatis *à Diis immortalibus datum*, quam *à Deo patre datum*? an jucundius eſt auribus noſtris *Socrates Sophroniſci filius*, quam *Jeſus Dei filius*? Cur magis blanditur auribus noſtris *Annibal Pœnorum Imperator*, quam *Paulus gentium Doctor*? Si perſonas æſtimes; ille Romano imperio moliebatur exitium, hic ſalutiferam Philoſophiam inve-

invexit: ſi voces conferas, quæſo quid intereſt? *H.* Si verum fateri velimus, nihil; niſi quod apud homines plurimum valet, vel quæ ſemel occupavit animum perſuaſio, vel penitus hauſta imaginatio. Hoc accepimus, hoc penitus inſedit animis noſtris, voces illas eſſe politas ac ſplendidas, has inamœnas & barbaras. *B.* Rem acu tetigiſti. Sed quæ res iſthuc perſuaſit animis noſtris? *H.* Neſcio. *B.* Res ipſa? *H.* Non opinor. *B.* Vis eloquar quod vero verius eſt? *H.* Per me quidem impune. *B.* Hujus exſpecto vocem. *N.* Utere jure quod ſtipulanti conceſſimus. *B.* At vereor, ne parum videaturCiceronianum quod dicturus ſum. *N.* Hic nihil refert. *B.* Paganitas eſt, mihi crede, Noſopone, paganitas eſt quæ iſta perſuadet auribus atq; animis noſtris. Titulo duntaxat ſumus Chriſtiani: corpus aqua tinctum eſt ſacra, ſed illota mens eſt: frons Cruce ſignata eſt, animus Crucem exſecratur: Jeſum ore profitemur, ſed Jovem Opt. Max. & Romulum geſtamus in pectore. Alioqui,

si vere, quod dicimur, essemus, quod tandem sub sole nomen oportuit vel cogitationibus vel auribus nostris esse jucundius nomine Jesu, per quem à tantis malis erepti; cujus gratuita benignitate ad tantam dignitatem vocamur, ad æternam felicitatem invitamur; ad cujus mentionem contremiscunt impii Spiritus, generis humani plus quam capitales hostes; cervices ac genua submittunt æthereæ Mentes? Quod tam efficax est, ut ad hujus invocationem fugiant Dæmones, cedant immedicabiles morbi, reviviscant mortui; tam blandum & amicum, ut nulla sit tam acerba calamitas, quin magno solatio leniatur, si Jesum ex animo nomines. Et hoc nomine persuademus nobis sordidari nitorem orationis, cum *Annibal & Camillus* mera sint orationis lumina? Ejiciamus, revellamus, proffigemus ex animo paganitatem hanc, pectus vere Christianum ad lectionem afferamus, & videbimus lucidissimam stellam additam orationi, quoties *Jesu Christi* nomen fuerit insertum: eximiam accessisse gemmam, quoties

Vir-

Virginis matris, quoties *Pauli Petrique* nomen admiſcebitur: multum decoris acceſſiſſe, quoties ex divinarum literarum adytis, quoties e Spiritus ſancti lecythis ac myrotheciis ſententiam viderimus interjectam, modo in loco, modo ex animo: multoque plus dignitatis adjunctum dictioni, quam ſi ex Ennianis aut Accianis ſcriptis decem millia dictorum, quæ in illis habentur venuſtiſſima, fuiſſent addita. *H.* Iſto ſane pacto vitatur, ne quid hæreſeos inſimulent Theologi. *B.* Jam ſi quid eſt ornatus in tropis ac ſchematis, id totum eſt nobis cum Cicerone commune: rerum majeſtate fideque longe ſumus illo ſuperiores. Tantum de *vocibus* imponit nobis imaginatio paganica, fallit affectus parum Chriſtianus; ideo putent nobis quæ ſuapte natura ſunt pulcherrima, quia non amamus, utinam non odiſſemus. Ut enim juxta Theocriti ſententiam, *amanti pulchra ſunt & ea quæ pulchra non ſunt*: ita nihil eſt odio non deforme. Veniam ad *alluſiones*, quas ſi tollas, ſcis ipſe quantum Veneris decedat orationi.

Cur

Cur igitur nobis vehementius blanditur, ſi quis ſignificans aliquem indecenter admixtum alieno gregi, dicat, vidiſſes *corchorum inter holera*, quam ſi dicat *Saulem inter prophetas*? aut ſi ſignificans quippiam non in loco factum dictumve, dicat *in lenticula unguentum*, quam *annulum aureum in nare ſuilla*? aut ſi ſignificans non fortunæ ſed bonæ conſcientiæ fidendum eſſe, dicat *in ſacræ ancoræ præſidio ſpem eſſe reponendam*, quam ſi dicat *ſolidæ petræ innitendum*? aut ſi quis volens boni viri partes eſſe, alienis inſervire commodis potius quam utilitatis propriæ rationem habere, dicat nihil minus decet Chriſtianum hominem quam *Aſpendium agere citharœdum*, quam ſi dicat, ad Pauli dictum alludens, *magis eſſe ſpectandum quid liceat quam quid expediat*? Hæc ſi perſequi laborem, juſti voluminis res ſit: indicaſſe ſat habeo. Quam inhiamus, quam ſtupeſcimus, ſi quod veterum Dæmoniorum ſimulacrum, aut etiam ſimulacri fragmentum nacti fuerimus: & Chriſti ac divorum imagines vix æ-

quis

quis oculis aſpicimus! Ut admiramur epigramma ſeu epitaphium corroſo quopiam ſaxo repertum! *Luciæ conjugi cariſſimæ ante tempus exſtinctæ, Marcellus poſuit Diis Manibus ſacrum, O me infelicem! cur vivo?* In hujuſmodi cum ſæpenumero non ſolum ſenſus inepti & paganici, verum etiam inſignes reperiantur ſolœciſmi; tamen ea exoſculamur, veneramur, ac propemodum adoramus antiquitatem: & Apoſtolorum reliquias deridemus? Si quis quid proferat ex duodecim tabulis, quis non judicet ſacratiſſimo loco dignum? & leges digito Dei tabulis inſcriptas quis noſtrum veneratur, quis exoſculatur? Quam habemus in deliciis Herculis, aut Mercurii, aut Fortunæ, aut Victoriæ, aut Alexandri Magni, Cæſariſve cujuſlibet ſimulacrū numiſmate expreſſum: & veluti ſuperſtitioſos ridemus, qui lignum crucis, qui Triadis ac divorum imagines inter res caras habent? Si quando Romæ conſpicatus es *Ciceronianorum μυσῶν*, recole, quæſo, nuncubi videris imaginem Crucifixi, aut ſacræ Triadis,

aut

aut Apoſtolorum: paganiſmi monumentis plena reperies omnia. Et in tabulis magis capit oculos noſtros Juppiter per impluvium illapſus in gremium Danaës, quam Gabriel ſacræ Virgini nuntians cœleſtem conceptum: vehementius delectat raptus ab aquila Ganymedes, quam Chriſtus aſcendens in cœlum: jucundius morantur oculos noſtros expreſſa Bacchanalia Terminaliave, turpitudinis & obſcœnitatis plena, quam Lazarus in vitam revocatus, aut Chriſtus à Joanne baptizatus. Hæc ſunt myſteria, quæ ſub *Ciceroniani* nominis velo teguntur. Mihi crede, per ſpecioſi tituli prætextum inſidiæ tenduntur ſimplicibus, & ad fraudem idoneis adoleſcentibus. Paganitatem profiteri non audemus: *Ciceroniani* cognomen obtendimus. At quanto ſatius eſſet vel mutos eſſe nos, quam in hunc affectum venire? *N.* Exſpectabam ut adjuvares conatus noſtros. Cæterum, neſcio quomodo dilapſus alio, labefactas animum meum, ne pertendam quod aggreſſus ſum. *B.* Jam dixi & repeto, non retraho ani-

animum tuum à præclaris cœptis, ſed ad ea quæ ſunt optima ſurrigo; neque enim hæc ideo commemorata ſunt, quod arbitrer te talibus affinem affectibus: ſed illud pro mea virili molior, ut feliciter affectemus Ciceronianam eloquentiam; ne ſedulo quidem ſed parum rectis judiciis id agentes, nihil aliud aſſequamur, quam ut, dum valde ſtudemus haberi Chriſtiani, nihil minus ſimus quam *Ciceroniani*: ſi modo perpetuum eſſe pateris quod donaſti, Ciceronis eſſe quam optime dicere; ac ne bene quidem dicere, qui non dicat apte; tum frigidam ac mortuam eſſe dictionem, quæ non proficiſcatur è pectore. *N.* Quî fiet igitur, ut reddamur aliquando germanè *Ciceroniani*? Neque enim gravabor tuum ſequi conſilium, ſi quod habes meo rectius. *B.* Hic eſt quod nobis optare, quod te monere poſſim; præterea non multum. Ingenium ac naturam Ciceronis optare poſſum nobis, dare non poſſum. Habent ſingula mortalium ingenia ſuum quiddam ac genuinum; quæ res tantam habet vim, ut ad hoc aut illud dicendi genus natura compo-

positus frustra nitatur ad diversum. Nulli enim bene cessit Θεομαχία, quemadmodum Græci solent dicere. *N.* Scio quod dicis non indiligenter admonere Quintilianum. *B.* Sit igitur hæc admonitio prima; ne quivis sese addicat ad exprimendum Ciceronem, cujus genius vehementer abhorreat à genio Ciceronis: alioqui monstri similis evadet, qui cum à sua nativa forma recesserit, alienam tamen non assequatur. Illud igitur in primis inspiciendum est, ad quod dicendi genus te natura finxerit. Etenim si qua fides Astrologis, nemo temere fortunatus est in eo à quo genesis abhorret. Qui musis natus est nunquam felix erit in bello: qui bello natus est nunquam scribet felicia poemata: qui conjugio natus est nunquam erit bonus monachus: qui agriculturæ natus est nunquam huic erit aula prospera; & contra. *N.* Atqui nihil est quod non expugnet labor improbus. Videmus arte humana lapidem verti in aquam, plumbum in argentum, æs in aurum, cura plantas exuere silvestre ingenium. Quid vetat quo minus & hominis

minis ingenium arte & uſu transformetur? *B.* Naturam habilem adjuvat cura, leviter abhorrentem conciliat, & corruptam emendat: at prorſus abhorrentem, & ad diverſa compoſitam fruſtra vexes, ô Noſopone. Equus diſcit in gyrum circumagi, diſcit inceſſum gradarium: at fruſtra bovem duxeris ad ceroma, fruſtra canem vocaris ad aratrum, fruſtra bubalum ad equeſtre certamen. Aqua fortaſſe vertitur in aërem, aër in ignem, ſi quis omnino ignis eſt elementaris: ſed terra nunquam vertitur in ignem, nec ignis in aquam. *N.* Sed quid vetat, quo minus Ciceronis phraſim ad omnem materiam accommodemus? *B.* Fateor in M. Tullio quædam eſſe generalia, quæ poſſunt ad quodvis argumentum transferri, veluti candorem, perſpicuitatem, ſermonis elegantiam, ordinem, & ſi qua ſunt hujus generis: at hoc iſtis Tullii ſimiis non eſt ſatis, totam dictionis faciem exigunt. Quod ipſum ut in quibuſdam materiis affinibus utcunque fieri poſſet, certe in his quæ tota ratione diſſident nequaquam valeat. Maronem, ſic opinor,

pinor, fateris inter poëtas Latinos tenere primas, quemadmodum M. Tullium inter oratores. *N.* Fateor. *B.* Age: si pares scribere carmen Lyricum; utrum Horatium tibi propones, an Maronem? *N.* Horatium, in hoc genere summum. *B.* Quid si Satyram? *N.* Multo magis. *B.* Quid si mediteris Comœdiam? *N.* Ad Terentianum exemplar me conferam. *B.* Nimirum ob insignē argumenti dissimilitudinē. *N.* Sed habet Tulliana phrasis nescio quid privæ felicitatis. *B.* Totidem verbis & ego possim dicere nescio quid. Imponit multis immodicus Ciceronis amor. Nam M. Tullii phrasim ad materiam vehementer diversam adaptare est dissimilem illi fieri. Nec est necesse affectare similitudinem, si contingat esse parem, aut certe propinquum, licet dissimilem. Quid dissimilius quam smaragdus & pyropus, & tamen pretio gratiaque pares sunt? Dissimilis est rosa lilio, diversus odor; & tamen uterque flos alterum æquat. Annon sæpe vidisti duas puellas facie dissimili, sed ambas ea forma, ut excellentia factura sit ambiguum delectum, si cui detur optio? Non sta-

ti n

tim melius eſt quod ad Ciceronis imaginem propius accedit, quemadmodum antea dicere cœperamus, nullum animal omnibus membris propius ad hominis figuram accedere quam ſimiam; adeo ut, ſi vocem addidiſſet natura, homo videri poſſit: nihil autem homini diſſimilius eſſe quam pavum aut cygnum, & tamen cygnus, opinor, aut pavus eſſe malles quam ſimius. *H.* Ego vel camelus eſſe malim aut bubalus quam ſimiorum formoſiſſimus. *B.* Dic mihi, Noſopone, utrum tibi dari malles vocem luſciniæ, an coccycis? *N.* Luſciniæ. *B.* Et tamen coccyx propius accedit ad vocem hominis. Utrum malles cum alaudis canere, an cum corvis crocitare? *N.* Cum alaudis canere. *B.* Et tamen corvorum vox ſimilior eſt humanæ. Utrum malles cum aſinis rudere, an cum equis hinnire? *N.* Cum equis hinnire, ſi ad alterutrum adigat fatorum neceſſitas. *B.* Et tamen aſinus conatur humano veluti more loqui. *N.* At opinor meam Minervam non uſque adeo diverſam eſſe

ab

ab ingenio Ciceronis. Proinde quod naturæ deeſt abſolvet meditatio. Quare fac abſolvas quod admonendum exiſtimas. *B.* Recte facis quod in viam revocas, nam alio dilapſurus erat ſermo meus. Summa eſt, ut, quod cupimus, vere faciamus, hoc eſt totum Ciceronem exprimamus; qui nec in verbis, nec in formulis, nec in numeris, nec in ſcriptis totus eſt, imo vix dimidiatus, ut ante ſatis declaratum eſt. *N.* Ubi igitur totus? *B.* Nuſquam niſi in ſe ipſo. Quod ſi totum vis exprimere Ciceronem, te ipſum non potes exprimere. Si te ipſum non exprimis, mendax ſpeculum tua fuerit oratio; nihiloq; minus abſurdum videbitur, quam ſi coloribus oblita facie te pro Noſopono Petronium eſſe ſimules. *N.* Ænigmata loqueris. *B.* Dicam craſſius: ineptiunt qui ſe torquent in hoc, ut Ciceronem iſtis rationibus totum exprimant: quod fieri nec poteſt, ſi expediat; nec expedit, ſi fieri poſſit. Sic autem totus exprimi poteſt, ſi virtutes illius non eaſdem reddere contendamus, ſed pares ad illius imitationem

tationem exprimere, aut, ſi licet, etiam vincere. Siquidem fieri poteſt, ut *Ciceronianus* ſit maxime qui Ciceroni ſit diſſimillimus, hoc eſt qui optime aptiſſimeque dicat, quum diverſa ratione dicat, nimirum rebus jam in diverſum commutatis: veluti ſi quis ſenem pingere velit, quem Apelles pinxerat adoleſcentem; hoc ipſo fuerit Apelli diſſimilis, ſi jam alium factum velit eodem modo pingere. *H.* Sphinge dignum ænigma, ut hoc ipſo diſſimilis ſit aliquis quo ſimilis eſt. *B.* Annon id uſu veniret, ſi quis eo modo caneret in funere, quo Hermogenes canere ſolet epithalamia: aut ea geſticulatione cauſam diceret apud Areopagitas, qua ſaltare Roſcius ſolet in Theatro? Verum hactenus licebit affectare Ciceronis ſimilitudinem, ſi iiſdem veſtigiis ad eloquentiæ palmam contendamus quibus ille pervenit. *N.* Quibus? *B.* Num ad unius imitationem ſemet addixit? Nequaquam: ſed ex præcipuis, quod in quoque eſſet aptiſſimum, exprimere ſtuduit. Hic illi primus erat Demoſthenes, non ſolus;

lus; nec hunc ita ſibi propoſuit ut totum exprimeret, ſed ut congrua ſeligeret; nec ut ſequi contentus eſſet, ſed ut delectu quædam prudens vitaret, nonnulla corrigeret: quæ vero probabat ſic æmularetur, ut præire contenderet. Ad hæc, pectoris ſui penum affatim explevit omnium diſciplinarum autorum, veterum ac novarum rerum cognitione: ſuæ civitatis familias, ritus, inſtituta, leges, edicta, plebiſcita diligenter ediſcebat. Nec ſolum ſtudioſe verſabatur in adytis Philoſophorum, verum etiam in ſeceſſus Muſarum ſe ſubinde recipiebat, ab aliis pronuntiationem, ab aliis geſtum diſcebat. Hæc qui faciet eadem, diſſimillimus evadet M. Tullio: paria qui faciet aut ſimilia, is *Ciceronianî* cognomen promerebitur. *N.* Dic aliquanto dilucidius. *B.* Qui pari ſtudio ſeſe exercebit in cognitione philoſophiæ Chriſtianæ, quo ille ſe exercuit in prophana: qui eo affectu imbibet Pſalmos & Prophetas, quo ille hauſit Poetarum libros: qui tanta vigilantia ſtudebit cognoſcere Apoſtolorum

decreta, eccleſiæ ritus, primordia, progreſſum ac deliquium reipubl. Chriſtianæ, quanta ille laboravit urbis Romanæ, provinciarum, municipiorum & ſociorum jura legeſque perdiſcere: tum qui quod his omnibus ſtudiis comparatum eſt, ad res præſentes accommodabit; is poterit aliquo jure *Ciceroniani* cognomen ambire. *N.* Iſthæc omnia tua non video quorſum pertineant, niſi ut Chriſtianè loquamur non Ciceronianè. *B.* Quid? num tibi *Ciceronianus* eſt, qui nec apte dicit, nec intelligit res de quibus verba facit? *N.* Nequaquam. *B.* At huc pertinent illorum ſtudia, qui nunc *Ciceroniani* volunt haberi. Id ne nobis uſu veniat diſquirimus. Nec ulla res vetat quo minus idem & Chriſtianè dicat & Ciceronianè, ſi modo fateris eum *Ciceronianum* qui dilucide, copioſe, vehementer & appoſite dicat, pro rei natura, proque temporum ac perſonarum conditione. Quidam enim bene dicendi facultatem non artem eſſe voluerunt, ſed prudentiam. Et ipſe M. Tullius in partitionibus eleganter definit eloquen-

quentiam: *Copiose loquentem sapientiam.* Nec dubitandum, quin hoc eloquentiæ genus ipse sectatus sit. Ab hac formula, Deus bone! quantum absunt isti, qui de rebus tota ratione diversis, quas ipsas nec intelligunt nec amant, more Ciceronis volunt dicere? Quod autem nobis sordidum & solœcum videtur quicquid à Cicerone dissonat, perniciosum ac mendax animi nostri somnium est, procul à nobis relegandum, si velimus hoc laudis ferre inter Christianos quod Cicero tulit apud suos. *Scribendi recte sapere est & principium & fons*, ait ille Criticorum acutissimus. Fons igitur eloquentiæ Ciceronianæ quis tandem est? Pectus opulenter instructum varia rerum omnium cognitione, præsertim earum, de quibus institueris dicere: pectus artis præceptionibus, tum multo scribendi dicendique usu, diutina meditatione præparatum: &, quod est totius negotii caput, pectus amans ea quæ prædicat, odio prosequens ea quæ vituperat. His omnibus conjunctum oportet esse naturæ

judicium, prudentiam & conſilium, quæ præceptis contineri non poſſunt. Hæc unde, te rogo, ſuppetunt iſtis, qui nihil legunt præter Ciceronem, qui unum hunc ſtudent *nocturna verſare manu, verſare diurna? N.* Atqui non inſcite dictum eſt, *qui diutius in ſole verſati ſunt colorem ducere, & qui diutius in taberna aromataria conſederint odorem loci ſecum ferre quum diſcedunt. B.* Mihi vero perplacet iſta ſimilitudo: tincturam modo cutis ſecum ferunt & mox evaneſcentem aurulam. Hac gloria qui contenti ſunt, deſideant, quantum libet, in myrotheciis aut roſariis Ciceronis, apricentur in illius ſole. Ego malim, ſi quid eſt bonorum aromatum, demittere in ſtomachum, trajicere in venas; ut non ſolum vicinos odore levi aſpergam, ſed totus incaleſcam ipſe, vegetiorque reddar; ut, quoties res poſtulat, prodeat vox quæ ſani beneque paſti animi videri queat. Ex intimis enim venis, non in cute, naſcitur oratio, quæ moratur auditorem, quæ movet, & in quemvis habitum animi rapit. Non hæc eo dico,

eo, quod ex Ciceronis libris mediocrem aut pœnitendam rerum cognitionem colligi existimem, sed quod ad parandam orationis opulentiam in quovis argumento solus non sufficiat. Quid igitur supereſt, nisi ut ipsam etiam Ciceronis imitationem ex ipso discamus Cicerone? Sic illum imitemur, quemadmodum ipse est alios imitatus. Si totus in unius lectione desedit, si se ad unius præscriptum addixit, si potiorem habuit verborum quam rerum curam, si non nisi nocte concubia scripsit, si se totũ mensem in una torsit epistola, si quicquam putavit eloquens quod ad res non congrueret: faciamus eadem, ut *Ciceroniani* simus. Sin hæc dissident plurimũ ab exemplo Ciceronis, illius exemplo pectus supellectile rerum cognitu necessariarum expleamus, ac prima sit sententiarum cura, deinde verborum, & verba rebus aptemus, non contra; nec inter dicendum usquam oculos à decore dimoveamus: ita demum vivida fuerit oratio, si in corde nascatur, non in labiis natet. Artis præcepta non ignoremus: conserunt

enim plurimum ad inventionem, tractationem argumentorum, ad vitanda quæ vel ſuperſunt vel officiunt cauſæ: ſed cum erit agenda cauſa ſeria, primas teneat conſilium. Quanquam & in fictis cauſis, quæ exercitationis gratia tractantur, conducit veris eſſe ſimillima quæ dicuntur. Cicero ſcriptit, *animum Lælii ſpirare in ſcriptis illius.* Stultum eſt autem hoc conari, ut alieno ſcribas ſtomacho, deſque operam ut in tuis ſcriptis ſpiret animus M. Tullii. Concoquendum eſt quod varia diutinaque lectione devoraris; meditatione trajiciendum in venas animi, potius quam in memoriam aut indicem: ut omni pabulorum genere ſaginatum ingenium ex ſeſe gignat orationem, quæ non hunc aut illum florem, frondem, gramenve redoleat, ſed indolem affectuſque pectoris tui; ut qui legit, non agnoſcat fragmenta è Cicerone decerpta, ſed imaginem mentis omni genere doctrinarum expletæ. Neminem priorum non legerat Cicero: quid quiſque probandum aut reprehendendum haberet, diligenter expen-

penderat: at neminem illorum proprie agnoſcas in Cicerone, ſed vim mentis ex omnium ſententiis vegetatæ. Si te parum movet exemplum amaſii tui, contemplemur exempla naturæ. Apes num ex uno frutice colligunt mellificii materiam, an potius ad omnes florum, herbarum, fruticum ſpecies mira ſedulitate circumvolant, frequenter è longinquo petentes quod condant in alvearia? Nec ſtatim mel eſt quod afferunt: fingunt ore viſceribuſque ſuis liquorem, ac in ipſas transformatum rurſus ex ſeſe giguunt; in quo non agnoſcas nec floris nec fruticis delibati ſaporem odoremve, ſed apiculæ fœtum ex omnibus illis temperatum. Jam nec iiſdem frondibus paſcuntur capellæ, quo lac illis modo cognatum reddant, ſed omni frondium genere ſaginantur: itaque non ſuccum herbarum, ſed lac ex illis transformatum referunt. *N.* Refert tamen, unde mellis ſuccum colligat apis, aut qua fronde ſatientur capellæ. Siquidem ex taxo toxica mella conficiunt, nec idem erit ſapor

lactis è capella quernis frondibus & ſalignis paſta. *B.* Aſſentior. Sed veniamus ad artifices. Qui laudem præclaram ambiunt in arte ſtatuaria graphicave, num ad unius tantum manus æmulationem addicunt ſeſe, an potius quod in quoque delectat id arripiunt ad artis abſolutionem; ſic imitantes ut conentur, ſi queant, anteire? Quid architectus parans inſignem aliquam domum abſolvere, num ex unis ædibus ſumit omnia? Non opinor: ſed cum judicio deligit è plurimis, quod conſpexerit eſſe felix. Alioqui nihil egregiæ laudis videbitur aſſequutus, ſi ſpectator agnoſcat hoc aut illud ædificium imitatione redditum eſſe. Et tamen hic tolerabilius ſit ſervîſſe exemplari, quam in oratione. Quæ ratio eſt igitur nos tanta ſuperſtitione uni Ciceroni addictos eſſe? Bis autem peccant, qui non ſolum aſſident uni præſcripto; verum etiam nullis artis rhetoricæ præceptionibus inſtructi, nec alium legunt quam Ciceronem, nec aliud quam legunt. Quid enim confert oculos in Ciceronem habere fixos,

fixos, niſi admoveas artifices oculos? Quid enim mihi profuerit graphices ignaro, ſi totos dies ſpectem Apellis aut Zeuxidis tabulas? Verum ubi didiceris rectè dicendi præcepta; ubi deinde peritus quiſpiam artifex indicarit tibi in aliquot Ciceronis orationibus, in quibus plurimum artis expreſſit, colorem & ſtatum, tum propoſitiones feliciter inventas; mox harum ordinem, partitionem, tractationem, locupletationem, abſolutionem, totius orationis in proœmio ſemina, tum coagmentationem ſingularum partium; ad hæc, conſilium judiciumque, quod animadverti poteſt, arte præcipi non poteſt; item prudentiam oratoris, quid quo loco poſuerit, quid quare omiſerit, quid in quem locum diſtulerit; præterea quibus rationibus tractet affectus utriuſque generis; poſtremo lucem, copiam, ornatum ſermonis: tum demum mira perſpicies in Cicerone, quæ non perſpicit ſedulus ille contemplator. Non enim imitatur artem qui non intelligit; nec intelligit niſi artifex. Arte con-

fectum opus interdum nonnulla voluptate delinit & eos qui artis ſunt imperiti; ſed quantulum eſt quod ille videt? *N.* Et artem unde petes rectius quam à Cicerone? *B.* Fateor. Nemo tradidit felicius, nemo uſus eſt abſolutius: ſed tamen accuratius præcepit Quintilianus, atque etiam copioſius; qui non præcepta modo proponit, verum etiam elementa, progreſſum, rationem, uſum, exercitationem ponit ob oculos, non pauca adjiciens, quæ M. Tullius vel prætermiſit vel obiter attigit: quod genus ſunt de ratione concitandorum affectuum, de generibus & uſu ſententiarum, de modis amplificandi, de inventione propoſitionum, de partiendis iiſdem ac digerendis, de tranſmigratione & concurſu ſtatuum, de modo legendi, imitandi, ſcribendi. Verum præceptiones ut ignorari non oportet, ita non conducit in his conſeneſcere: quorum anxia obſervatio facit ut pejus dicamus; quum in hoc reperta ſit artis ratio, ut bene dicamus. Commonſtrator ille peritus mul-

multo plus contulerit quam præceptiones. Id conati sunt nonnulli tum apud Græcos, tum apud Latinos; sed mea sententia, non admodum feliciter. Cavendum est igitur, ô Nosopone, ne, quod isti faciunt vix deguſtatis præceptionibus, tantum assiduitate legendi Ciceronem confidamus nos fore *Ciceronianos*. Nam hi, si quid assequuntur Ciceronis, præter summam cutem, umbram, & auram modo quandam, nihil assequuntur. *N.* Tales esse permultos haud inficior, Bulephore, nec mihi placuit unquam illorum ratio. *B.* Nec tua causa hæc moneo, mihi & Hypologo canitur hæc cantio. Nunc & illud æquis judiciis expendamus, vir amicissime: primum, an deceat nos, deinde num operæ pretium sit tantis vigiliis emere *Ciceroniani* cognominis honorem? *N.* Nihil honestius. Quod autem honestum, idem non potest non esse decorum. *B.* Ut de decoro disquiramus: fateris, opinor, M. Tullii dictionem non placituram fuisse sæculo Catonis Censorii, quippe comtiorem

rem

rem, magiſque laſcivientem, quam illius ætatis moribus conveniebat. Frugalis erat vita, frugalis erat oratio. Quin & ea ætate, qua vivebat Cicero, non deerant viri priſcam illam ſeveritatem adhuc ſpirantes, veluti Cato Uticenſis & Brutus & Aſinius Pollio, qui ſeverius quiddam, minus theatricum, magiſque maſculum requirerent in Ciceronis eloquentia: & tamen illis temporibus eloquentia florebat, ut cum maxime, tum in populari conventu, tum in conſeſſu Patrum, tum in judiciis; adeo ut ornamenta jucunditatemque dictionis & exſpectarent & exigerent à patronis judices. Quod igitur parum virile ducebatur in Cicerone, num putas decorum videri Chriſtianis; quorum omnis ratio magis ſpectat ad bene vivendum, quam ad ornate comteque dicendum; à quorum moribus oportet plurimum abeſſe, quicquid ad fucos & ſcenicam delectationem accedit? Sed fac eſſe decorum; quos fructus ſperas tantis pares ſudoribus? Finis totius hujus ſtudii eſt

per

perſuadere. At quanto hic erat potentior Phocion quam Demoſthenes, Ariſtides quam Themiſtocles? Quanto efficacior Cato quam Cicero; qui reos nonnunquam gravabat ſuo patrocinio, accuſatione ſublevabat? Nihil hic moror illa magnifice ſane dicta; *Pulchrius eſt eſſe Phidiam, quam ſcriniarium aut coquum*: quum horum opera magis neceſſaria ſint reipublicæ quam ſigna Phidiæ. Pictorum ac ſtatuariorum ars delectandis oculis reperta eſt; id ubi præſtitit, abſolvit munus ſuum. Eloquentia, quæ nihil aliud quam delectat, non eſt eloquentia; nimirum in aliud reperta, quod niſi præſtat, nec decora videri debet bono viro. Verum, ut olim fuerit utilis eloquentia Ciceronis, hodie quis eſt illius uſus? An in judiciis? Ibi res agitur articulis ac formulis, per Procuratores & Advocatos, quidvis potius quam *Ciceronianos*, apud judices, apud quos barbarus eſſet Cicero. Neque multo major uſus in conſiliis, ubi ſinguli paucis aperiunt quod videtur, idque Gallicè, aut Germanicè. Maxi-

mæ

mæ vero res hodie per conſilium, quod arcanum vocant, conficiuntur: ad id vix tres homines adhibentur, illiterati fere: reliquis licet conſultare. Jam, etiam ſi res agerentur hodie Latinè, quis ferret Ciceronem ea perorantem quæ dixit in Verrem, in Catilinam, in Clodium, in Vatinium teſtem? Quis ſenatus tam otioſus, tam patiens, ut perpeſſurus ſit orationes quas dixit in Antonium; quum in his tamen ſenilior ſit, minus redundans, minus exſultans eloquentia? Itaque cui tandem uſui paramus hanc operoſam Ciceronis eloquentiam? Num concionibus? Vulgus Ciceronis linguam non intelligit; & apud populum nihil agitur de republica: ſacris verò concionibus minime congruit hoc dicendi genus. Quis enim ſupereſt uſus, niſi forte in legationibus, quæ Romæ præſertim Latinè peraguntur, ex more magis quam ex animo, & magnificentiæ cauſa potius quam utilitatis gratia? In his enim fere nihil agitur rei ſeriæ: in laudibus ejus ad quem mitteris, in teſtificationē

one benevolentiæ illius à quo mitteris, & in locis quibuſdam vulgaribus conſumitur omnis oratio. Quid multis? Totum hoc ejus generis eſt, ut rem magnam præſtiteris, ſi ſpeciem adulationis vitâris, quum ipſam adulationem non liceat. Frigidius etiam eſt quod huic ex more reſpondetur, interdum non ſine gravi tædio prolixæ dictionis, nonnunquam & pudore illius qui laudatur immodice: ſæpe dicentis non pudore tantum ſed & periculo, dum ſudat recitans quæ edidicit, dum hæret, dum ſibi aliquoties excidit vel oblivione vel animi perturbatione. Quid autem admirationis habeant tales orationes; quum fere qui recitat, ab rhetore quopiam elaboratam edidicerit? ut ad oratorem noſtrum nihil redeat laudis præter recitandi fortitudinem. Hic itaq; præter ſalutationis officium nihil agitur, quod eſt ſerium privatim literis & Gallicis colloquiis peragitur. Quod igitur theatrum petet noſter *Ciceronianus*? Scribet epiſtolas Ciceronianas? Ad quos? Ad eruditos? Pauciſſimi ſunt: &

hi

hi nihil morantur Ciceronianam phraſim, modo ſit ſana, prudens, munda, doctaque oratio. Ad quos igitur? Ad quatuor Italos, qui ſe nuper jactare cœperunt *Ciceronianos*; quum, ut oſtenſum eſt, nihil ſit Ciceroni diſſimilius, vixque tenuem umbram habeant Ciceronis? Quod ipſum quicquid eſt, ſi minimo conſtaret, ſi præſto eſſet ultro, ſi non officeret majoribus commodis; fortaſſe non eſſet rejiciendum. Nunc fac rationem tecum ineas: num hoc laudis ſit tot vigiliis, tot ſudoribus redimendum non ſine periculo valetudinis; ut à quatuor ineptis Italis adoleſcentibus recipiaris in catalogum *Ciceronianorum*? *N.* Non probas bene dicendi ſtudium? *B.* M. Tullius non requirit à philoſopho eloquentiam. An quenquam exiſtimas inter Ethnicos philoſophos tam ſeverum, ut putes cuivis Chriſtiano præferendum? *H.* Imo tota Græcorum philoſophia præ philoſophia Chriſti ſomnium eſt ac nugamentum. *B.* Qua igitur fronte nos exigimus à Chriſtiano Ciceronianam eloquentiam,

tiam, hoc est & inimitabilem, & quam Ethnici viro gravi vix decoram existimarunt? Nec statim male dicit, qui secus dicit quam Cicero dixit. Nec omnino, quod crebro repetendum est, bene dicit qui non dicit apte. Ad hæc, inutilis est armatura, quæ cum tantum ad ostentationem valeat, nec ad manum est, ubi res virum postulat. Interdum res urget, ut eodem die viginti scribamus epistolas. Quid hic faciet meus *Ciceronianus*? Ad hæc, quotusquisq; nunc est qui Ciceroniana phrasi capiatur? Quid, quod Cicero varius est in dicendo? Alius est, cum sermone remisso placidoque docet philosophiam; alius in actionibus causarum; alius in epistolis, in quibus fere neglectus & illaboratus sermo: atque hoc ipsum decet epistolam, quæ in familiaris colloquii vicem successit. Annon igitur præpostere fecerit, qui ea cura conscribat epistolam de re familiari, qua Cicero meditatus est orationem pro Milone? Et nos epistolæ non longæ de rebus non ita magni momenti dabi-

dabimus operam menſtruam? Ne M. quidem Tullius tanti redemturus erat eloquentiam, quam præſtat in cauſis, ſi tot vigiliis conſtitiſſet; quanti nobis conſtat epiſtola: cum illis temporibus tantus eſſet in republica uſus eloquentiæ, cum hoc ſtudium publice privatimque floreret, cum longe parabilior eſſet ea facultas. Jure deriſus eſt quidam, qui multis diebus ſe torſerat, nec adhuc potuerat orationis exordium invenire, quod affectaret melius dicere quam poſſet. Eſt in Cicerone felix quædam facilitas, naturæ donum; eſt nativa perſpicuitas. Hoc ſi nobis natura negavit, cur nos ipſos fruſtra diſcruciamus? Quanto vero longius abſunt à ſana mente, qui temporibus alienis, qui rerum humanarū tota inverſa ſcena, cum vix uſquam ſit Ciceronianæ dictionis uſus, hoc uno ſtudio ſeſe macerant ut videantur *Ciceroniani*, nec quidquam aliud quam *Ciceroniani*? *N.* Belle tu quidem rhetoricaris: verum hunc affectum non poſſum excutere, adeo penitus inſedit animo meo. *B.* A medi-

mediocri æmulandi ſtudio te non revoco, modo æmuleris, modo qua eſt optimus hac æmuleris, modo æmuleris potius quam ſequaris, modo ſtudeas æqualis eſſe verius quam ſimilis, modo ne pugnes adverſus genium tuum, modo ne ſic affectes congruere Ciceroni tuam orationem, ut rei, de qua loqueris, non congruat. Super hæc omnia, abſit anxietas, quæ nuſquam non eſt infelix, ſed haud alibi quam in dicendo infelicior. Poſtremo ne ſic affectus ſis, ut, ſi quod ſequeris non aſſequaris, vitam acerbam putes; nec vivere libeat non *Ciceroniano*, quum tot ſint hominum eruditorum millia, qui ſine hoc titulo & vivi laudem egregiam & mortui nominis immortalitatem ſunt aſſequuti. *N.* Hunc in modum nunc quidem affectus ſum. *B.* Idem affectus & me quondam habuit, ſed ab eo morbo revalui. *N.* Quo tandem pacto? *B.* Adhibui Medicum. *N.* Quem, obſecro? *B.* Facundum & efficacem. *N.* Quem, inquam? *B.* Ad quem nihil Æſculapius aut Hippocrates. *N.* Enecas.

B. Quo

B. Quo nemo paratior, nec amicior, nec fidelior; nec curat hepar aut ſtomachum, hominis intima ſanat. *N.* Si nomen edere gravaris, ſaltem indica pharmacum. *B.* Et nomen & pharmacum ſcies; ὁ λόγος παιδείας mihi medicatus eſt. *H.* Veriſſima prædicas. Ψυχῆς νοσούσης βοηθὸς ἰατρὸς λόγος. *B.* Sic ab eo morbo revixi, Noſopone. Quod ſi voles hic aliquantiſper ejus, quam prius geſſi, perſonam ſuſcipere, ego τὰ λόγου vices obiero. *N.* Suſcipio, quando ita videtur. *B.* Cum me vehemens teneret morbi paroxyſmus, ſic adortus eſt medicus quemadmodum nunc loquor tibi. Pudor, inquit, te malus urget, infelix, qui ferre non poſſis convitium cum tot hominum millibus commune. *N.* Quodnam? *B.* Quia negaris eſſe *Ciceronianus*. *N.* Iſthuc me diſcruciat, fateor. *B.* At reſponde mihi per Muſas, quem mihi dabis *Ciceronianum* præter unum Ciceronem? A veteribus ordiamur. In oratorum catalogo, quem perlongum in Bruto contexuit M. Tullius, vix duo ſunt, quos dignetur oratorum titu-

titulo: tantum abeſt, ut *Ciceroniani* videri queant. Jam C. Cæſar *Ciceronianus* dici non poteſt, vel quia vixit iiſdem temporibus, vel quia longe aliud dicendi genus ſibi propoſuerat, contentus eleganter proprieque dicere. At hæc quantula eſt Ciceronis portio? Neque enim tam præclarum eſt oratorem Latinè dicere, quam turpe eſt neſcire Latinè. Ad hæc, nihil exſtat Cæſaris præter epiſtolas aliquot & commentarios rerum ab ipſo geſtarum, quanquam eruditi de horum autore vehementer ambigunt. Nulla certe exſtat oratio, quum hic demum excelluerit Cicero. Idem mihi dicere licet de M. Cœlio, Planco, Decio Bruto, quorum ſatis multas habemus epiſtolas Tironis ſtudio ſervatas, pauciores C. Pompeji, L. Cornelii Balbi, Lentuli, Caſſii, Dolabellæ, Trebonii, P. Vatinii, Servii Sulpitii, Auli Cæcinæ, Bithynii, M. Bruti, Aſinii Pollionis, C. Cæſaris, & ſi qui forte ſunt alii, quos conſtat eadem ætate fuiſſe cum Cicerone; ut non magis conveniat M. Cœ-

Cœlium dici *Ciceronianum*, quam Ciceronem *Cœlianum*. Nec in his epiſtolis quicquam congruit præter ſermonis Romani dilucidam & inaffectatam elegantiam. At in hoc non eſt totus Cicero, quem tibi proponis æmulandum. Quid enim nunc commemorem de Criſpo Salluſtio, qui, cum ejuſdem fuerit ætatis, dictione diſſimillimus eſt Ciceroni? *N.* Nec commemora mihi priſcos illos horridos & impexos, cum nondum una cum moribus enituiſſet eloquentia; nec eos, qui pariter cum Cicerone decurrerunt: eos refer, qui Ciceronem ſecuti ſunt. *B.* Age: num tibi Seneca videtur *Ciceronianus?* *N.* Nihil minus, præſertim in oratione ſoluta. Nam tragœdiæ, quæ probantur à doctis, vix videntur à Seneca ſcribi potuiſſe. *B.* Num Valerius Maximus? *N.* Tam ſimilis eſt Ciceroni quam mulus homini, adeo ut vix credas vel Italum fuiſſe qui ſcripſit, vel hoc ætatis quod præ ſe fert vixiſſe; tam diverſum eſt totum dictionis genus: Afrum quempiam eſſe dicas, nec ullum

lum carmen elaboratius. *B.* Quid Suetonius? *N.* Non paullo longius abeſt à Cicerone quam Seneca, nec verbis, nec ſtructura, nec perſpicuitate, nec figura dictionis, nec urbanitate referens M. Tullium. *B.* Tit. Livium hoc honore dignaris? *N.* Primum hiſtoricus eſt, deinde incompoſitus; nonnullis etiam Patavinitatem quandam reſipere dictus eſt, hoc eſt minus Romanè dicere. *B.* Jam Cornelium Tacitum conferre non audeo. *N.* Nec opus. *B.* Fortaſſe Quintilianum recipies in hoc album. *N.* Is affectavit etiam Ciceroni diſſimilis eſſe: cujus utinam exſtarent declamationes; nam quas habemus minimum habent Ciceronis. *B.* Sed habeo, quem non contemnas, Quintum Curtium. *N.* Hiſtoricus eſt. *B.* Eſt; ſed in hiſtoriis exſtant aliquot orationes. *N.* Cæteris candidior eſt; ſed nihil, ut aiunt, ad Parmenonis ſuem. Habet multas ſermonis formulas à Ciceronianis diverſas. *B.* Si hunc rejicis, non recipies, opinor, Ælium Spartianum, Julium Capitolinum, Ælium Lampri-

pridium, Vulcatium Gallicanum, Trebellium Pollionem, Flavium Vopiſcum, Aurelium Victorem. *N.* In his vix eſt quod probes, præter hiſtoriæ fidem; tantum abeſt, ut eos *Ciceroniani* cognominis honore digner: nam ægre tuentur ſermonis Latini caſtimoniam. *B.* En adeſt Probus Æmilius. *N.* Candidus eſt laudator omnium, quorum vitam deſcribit; ut encomiaſten dicas verius quam hiſtoriographum. *B.* An Ammianum Marcellinum fortaſſe recipies? *N.* Difficilis eſt in eloquendo, ac ſubinde compoſitio carmen moliri videtur, cum dicit, *ut captivos redderet noſtros.* Vellejum Paterculum citius agnoverim, quanquam nec illum dignabor hoc honore. *B.* Minus, opinor, agnoſces epitomographos, Florum, Eutropium & Solinum. *N.* Agnoſcam, ſi quiſquam eruditus illos agnoſcit, hoc ſane nomine: referunt enim quos imitantur. *B.* Verum retro mihi curſus flectendus eſt, duos Plinios prætermiſimus. Majorem, ſcio, non feres hic nominari, Juniorem

fortaſſis admittes. *N.* Imo, qui ſunt hujus cauſæ cenſores, cum primis vetant contingi ab adoleſcentibus hujus epiſtolas, ne pro *Ciceronianis* evadant *Pliniani*. *B.* At felicius ſcripſit orationem, qua Trajanum laudat. *N.* Feliciſſime, ſed Ciceronem non exprimit. *B.* Poëtas ſciens prætereo, facile divinans quid ſis reſponſurus, etiam ſi clariſſimos ac feliciſſimos omnium propoſuero, Virgilium, Horatium, Ovidium, Lucanum & Martialem. *N.* In Horatio nullum Ciceronis veſtigium: in Virgilio nonnullum, licet obſcurum: Ovidius inter poëtas Cicero videri poſſet: Lucanus dictus eſt Oratori quam poëtæ ſimilior, ſed alieniſſimus ab imagine Ciceronis: Martialis ad Naſonis facilitatem plurimum accedit, & aliquid Ciceronianæ laudis illi poterat tribui; ni in libros aliquot epiſtolis præfatus eſſet, Deum immortalem, quam non Ciceronianis! *B.* Quid ſi proferam Lucretium? *N.* Eadem opera profer, & Ennium & Lucilium. *B.* A. Gellii candidiſſi-

mam phraſim mirantur eruditi. *N.* Nec argumentum convenit, nec phraſis primum affectata, & verborum copia pæne ſuperfluens, rerum ſupellectile frugalis. *B.* En tibi Macrobius! *N.* Æſopicam corniculam mihi nominas; ex aliorum pannis ſuos contexuit centones. Itaque ſua lingua non loquitur; etſi, quando loquitur, Græculum Latinè balbutire credas. quod genus eſt illud ex commentario in ſomnium Scipionis ſecundo: *Et hoc eſſe volunt quod Homerus, divinarum omnium inventionum fons & origo, ſub poëtici nube figmenti verum ſapientibus intelligi dedit.* *B.* At Symmachum in epiſtolis argutum admirantur quidam. *N.* Admirentur quibus ſtudio eſt moleſte potius, quam bene dicere. *B.* Sed heus! Appulejus nobis præteritus eſt. *N.* Hunc Ciceroni conferam, cum libebit graculum comparare luſciniæ. *B.* Sit ſane, in Aſino & Floridis; at in Apologiis accedit. *N.* Minus quidem abeſt, ſed immenſo ſequitur intervallo. Cæterum & Martianum Capellam oblitus es, ſi tales lubet proferre.

re. *B.* Quid si veniamus ad semichristianos? Quis tibi videtur Boëthius? *N.* Egregius philosophus, poëta non pessimus, à Ciceronis dictione longe semotus. *B.* Quis Ausonius? *N.* Ingenium ac doctrinam tribuo; stylus aulæ delicias licentiamque refipit, quemadmodum & vita: *Ciceronianus* adeo non est, ut studio habuisse videatur aliter dicere quam dixit Cicero. Proinde qui *Ciceroniani* nomen illi velit adscribere, pro honore contumeliam irrogarit homini; non aliter ac si quis Germanum appellaret, qui studeret haberi Gallus, etiam si Germanus esset. *B.* Ne te longis ambagibus circumagam, veniamus, si videtur, ad Christianos; si quem forte reperiamus, qui *Ciceronianus* dici mereatur. Inter hos, opinor, probabis Lactantium, qui Ciceronianæ eloquentiæ lacteo flumine manare dictus est. *N.* Dictus, sed ab eo qui *Ciceronianus* non erat. *B.* Verum illud inficiari non potes, Lactantium Ciceronis eloquentiam affectasse. Id declarat in tertium Institutionum librum

præfatio; in qua, defenſurus Chriſtianæ philoſophiæ veritatem, optat eloquentiam, ſi non Tullianam, certe Tullianæ proximam. *N.* Nec prorſus infeliciter affectavit, quanquam aſſequutus non eſt. *B.* Quî ſic? *N.* Quoniam in prima ſtatim operis præfatione ſic loquutus eſt: *Alioqui nihil inter Deum hominemque diſtaret, ſi conſilia & diſpoſitiones illius majeſtatis æternæ cogitatio aſſequeretur humana.* Ubi Cicero dixit *diſpoſitiones* pro *decretis*? *B.* Imo, dum *Ciceronianus* eſſe ſtudet, factus eſt Ciceroni diſſimilis: eſt enim hoc Ciceronis, rem eandem duabus vocibus idem aut propemodũ idem ſignificantibus inculcare. Hinc eſt illud *conſilia & diſpoſitiones*. Quî ſcis an & vocalium hiatum captârit, ut *Ciceronianus* eſſet in *conſilia &*, & rurſus in *cogitatio aſſequeretur*? Fortaſſis & compoſitionem affectavit, Scazontis clauſula comma finiens, velut in *balneatore* & *archipirata*. Cujuſmodi clauſulis frequenter utitur in eadem præfatione, ut in prima ſtatim periodo *inhærere*: & rurſus *inſtruere poſſimus*; ac mox *apud Græcos*:

eos: atque iterum *luce orationis ornata*: & αὖθις αὖ *honesta susceptа*, mox & *honorasti*: nec multo post *nominis tradas*: iterum *ut sequerentur hortarer*: item aliquanto post *reliquerunt*. Hoc certe Tullianum habet, quod subinde ditrochæo finit, ut *contulerunt, convocamus, sopiamus, inchoamus*: semel ponit in clausula *quæsisse videatur*. Hæc indicant illum magno studio Ciceronis imaginem affectasse. Verum hoc nomine justius rejiceres Lactantium à titulo *Tullianorum*; quod nec eruditionem, nec vim, nec pectus attulerit ad defensionem philosophiæ Christianæ, quæ Marcus Tullius attulit ad actionem causarum civilium. E reliquorum numero, quem primum aut ultimum proferam? Cyprianum? *N.* Christianè scripsit verius quam Ciceronianè. *B.* Hilarium? *N.* Ohe! nihil simile: difficilis est & obscurus in eloquendo; & Gallico, ut inquit ille, cothurno attollitur, verba quoque multa secũ trahens quæ non sunt Tullianæ puritatis. *B.* Sulpitius, opinor, videbitur hoc honore dignus. *N.* Est ille quidem &

mollior & jucundior, & dilucidior & illaboratior Hilario; ſed phraſis Gallum fuiſſe declarat. Non deeſt pietas, ſed abeſt vis & gravitas, & eſt floridum dicendi genus magis quam nervoſum. *B.* Tertullianum igitur admittes? *N.* Irrides: is prudens ac ſciens obſcuravit malis verbis bonas ſententias; vel ipſo durior Appulejo. *B.* Certe facundiſſimum illum ſimul & doctiſſimum Hieronymum non repelles. *N.* Agnoſco virum doctrina facundiaque præcellentem: *Tullianum* non agnoſco, qui flagris ab imitatione Ciceronis depulſus eſt. *B.* Auguſtinum igitur? *N.* Is hoc habet Ciceronis, quod prælongo ambitu circumducit periodum; ut frequenter ægre revocet à diverticulo in viam. Verum non æque ac Cicero, prolixum orationis ductum membris & inciſis diſtinguit; nec facilitatem in dicendo, nec felicitatem in tractando reddit. *B.* Paulinum? *N.* Vix umbram habet Ciceronis, nec ſententiis nec verbis admodum felix. *B.* Ambroſium igitur? *N.* Romanum oratorem agnoſcas, non

Cice-

Ciceronianum. Gaudet argutis alluſionibus, acclamationibus, nec præter ſententias quicquam loquitur: membris & inciſis comparibus numeroſus ac modulatus, ſuum quoddam dicendi genus habet aliis inimitabile; ſed à Tulliano genere diverſiſſimum. *B.* Saltem agnoſce Romanum Gregorium, ejus nominis inter Pontifices primum. *N.* Agnoſco virum pium, ea loquentem quæ ſentit. Et hic propius accedit ad M. Tullium quam Ambroſius; ſed fluit lutulentus, & Iſocraticæ ſtructuræ quaſi ſervit oratio, quod eſt à Cicerone alienum. Sic enim puer in ſcholis aſſueverat. *B.* At Tuſci Leonis, qui fuit ejus nominis primus Romanæ urbis Pontifex, eloquentiam mirantur omnes. *N.* Eſt, fateor, hujus bene numeroſa, ſatiſque perſpicua dictio, nec ineptis ſenſibus; ſed nihil ad Ciceronem. *B.* Quid ſi tibi Bernardum è Burgundionibus adducam? *N.* Agnoſco virum bonum, quæ pars eſt oratoris, natura compoſitum ad urbanitatem & ad dictionis leporem; ſed adeo non *Ciceronianum*,

ronianum, ut ex ſcriptis vix ſuboleat unquam illi lectum Ciceronem. *B.* Poſteaquam hunc rejicis, non auſim tibi proponere Bedam, Remigium, Claudium, Heſychium, Anſelmum, Iſidorum. *N.* Define mihi κολοβώτας iſtos commemorare, quum aliena lingua loquantur. Deteriora faciunt quæ referunt: dum ſua promunt, vix loquuntur. In his ægrotabat eloquentia. *B.* At vereor ne mortuam dicas, ſi poſteriores commemoravero. Prætermittam igitur Alexandrum Halenſem, Petrum Gandavenſem, & hujus farinæ ſcriptores innumeros: duos κορυφαίους proferam, Bonaventuram & Thomam. *N.* Bonaventura ſatis affluit verbis, ſed qualibuſcunque. Thomas Ariſtotelicus prorſus eſt, ἀπλοῦς in dicendo, tantum hoc agens ut doceat lectorem. *B.* Verum in quæſtionibus: cæterum ubi rhetorem aut poëtam agit, ſatis ſpirat Ciceronem. *N.* Quæ mihi narras poëmata? mihi vero nuſquam videtur infantior, quam cum affectat oratoriæ dictionis fluxum; id quod facit in tractanda materia

teria de Euchariſtia. Sed age: miſſos fac Theologos iſtos ſcholaſticos, à quibus fruſtra requiras ullam eloquentiam, nedum Ciceronianam: alios profer, ſi quos habes. *B.* Age: redibimus ad aliud ſcriptorum genus noſtro ſæculo vicinius. Nam aliquot ætatibus videtur fuiſſe ſepulta prorſus eloquentia, quæ non ita pridem reviviſcere cœpit apud Italos, apud nos multo etiam ſerius. Itaque refloreſcentis eloquentiæ princeps apud Italos videtur fuiſſe Franciſcus Petrarcha, ſua ætate celebris ac magnus, nunc vix eſt in manibus: ingenium ardens, magna rerum cognitio, nec mediocris eloquendi vis. *N.* Fateor. Atqui eſt ubi deſideres in eo linguæ Latinæ peritiam, & tota dictio reſipit ſæculi prioris horrorem. Quis autem illum dicat *Ciceronianum*, qui ne affectarit quidem? *B.* Quid attinet igitur referre Blondum ac Boccatium, hoc inferiores tum in dicendi viribus tum in Romani ſermonis proprietate? Ne Joannem quidem Tortellium audies. *N.* Non audiam in his quidem

comitiis. *B.* Hunc ſequutus eſt ingens proventus eruditorum, certatim ſeſe ad Ciceronis imitationem componentium. Ecquem ex hoc numero dignaberis illius cognominis honore? Num Franciſcum Philelphum? *N.* Plane dignarer, ſi tam placeret eruditis omnibus quam placuit ſibi. Et affectavit quidem illo ſæculo Ciceronis effigiem, ſed parum feliciter. Nec uſquam illi diſſimilior eſt quam ubi maxime oportuit eſſe ſimilem, nimirum in orationibus. nam in epiſtolis ſatis adumbrat M. Tullium. Neque hæc dixerim in cujuſpiam contumeliam. Agnoſco viros æterna poſteritatis memoria dignos, ac de ſtudiis optime meritos: ſed divinum quiddam eſt eſſe *Ciceronianum*. *B.* Leonardus Aretinus mihi videtur alter Cicero. *N.* Facilitate dictionis ac perſpicuitate ſatis accedit ad Ciceronem; ſed nervis aliiſque virtutibus aliquot deſtituitur: alicubi vix tuetur Romani ſermonis caſtimoniam; alioqui vir doctus juxta ac probus. *B.* Guarinum, ſat ſcio, non recipies, nec Lapum, nec Acciaiolum

iolum, nec Antonium Becariam, nec Franciſcum Barbatium, nec Antonium Tudertinum, nec Leonardum Juſtinianum, nec Achillem Bochium, & ſi qui ſunt qui mihi nunc non ſuccurrunt, maxime quod horum pleriq; non alio monumento nobis innotuerunt quam vertendis Græcis, ubi nulla laus inventionis, quæ præcipua pars eſt eloquentiæ. *N.* Iſtorum neminem contemno; neminem tamen dignabor *Tulliani* cognominis honore. *B.* Proferam itaque Poggium Florentinum, vividæ cujuſdam eloquentiæ virum. *N.* Naturæ ſatis erat, artis & eruditionis non ita multum: interim impuro ſermonis fluxu, ſi Laurentio Vallæ credimus. *B.* Vallam igitur in illius locum ſubſtituamus. *N.* Is propius accedit ad curam ac ſubtilitatem Quintiliani, quam ad illaboratam Ciceronis facilitatem, quanquam cæteris elimatior puriorque. *B.* Multos prætereo ſciens, quorum nomina, ſat ſcio, non ferent aures tuæ: eximios tantum refero. Si quem alium, certe magnum illum

Her-

Hermolaum Barbarum in hujus cognominis honorem admittes. *N.* Verè magnum ac divinum hominem protuliſti; ſed in dicendo Ciceroni diſſimillimum, & ipſo pæne Fabio Plinioque elaboratiorem, cujus eloquentiæ nonnihil offecit philoſophiæ ſtudium. *B.* Quid Joannem Picum Mirandulæ comitem? *N.* Indolem plane divinam narras, ingenium ad omnia factum; ſed hujus quoque dictionem nonnihil vitiavit linguarum ac philoſophiæ atque etiam theologiæ cura. *B.* Noſti gentilem hujus Franciſcum Mirandulanum. *N.* Οὐδ' ὑγιὲς, ut aiunt: nimium philoſophus ac theologus eſt; alioqui vir magnus. Cæterum, qui convenit, ut eum recenſeas inter *Ciceronianos*, qui cum Petro Bembo diſputans damnat addictos exprimendo Ciceroni? *B.* Næ tu ſummam laudem illi tribuiſti, ſi quis tamen omnino nimium theologus eſſe poteſt. *N.* Poteſt ad hujus palmæ conditionem. *B.* Bene habet: unum, ni fallor, reperi, quem non rejicies, Angelum Politianum: nam Marſilium Ficinum proferre

ferre non audeo. *N.* Fateor Angelum prorſus angelica fuiſſe mente; rarum naturæ miraculum, ad quodcunque ſcripti genus applicaret animum: ſed nihil ad phraſim Ciceronis; diverſis virtutibus ſuſpiciendus eſt. *B.* Si producam in hunc ordinem Codrum Vrcium, Georgium Trapezuntium, ſi Theodorum Gazam, Janum Laſcarem, Georgium Merulam, M. Muſurum, Marullum, prope divino quid dicturus ſis. Submovebis ab hoc certamine totum Græcorum genus, quibus inviſus eſt tuus amaſius Cicero. Verùm nolim in his comitiis habere ſuffragium iram, odium, aut amorem. *N.* Nec habebunt. De Jano, quoniam adhuc ſupereſt, dicendum eſt parcius. Morum comitate generis nobilitatem præ ſe fert, acri judicio vir, multæ in epigrammatibus argutiæ: poterat inter *Ciceroniani* cognominis candidatos numerari, ni crebræ legationes ac regum negotia revocaſſent hominem à Muſis. Codro nec Latinæ linguæ facultas deerat, nec urbanitas; verum homo non diſſentiens

ens ab Epicuro neglexit hanc laudem, ut non vulgarem, ita nec parvo parabilem. Georgium Trapezuntium fateor virum egregiè doctum, deque re literaria pulchrè meritum, & hoc abſolutiorem Theodorum Gazam: quorum ille ſe ad Ciceronis dictionem effingendam ſtudio compoſuiſſe videtur hic Ariſtotelem exprimere maluit, quo non alius felicior ſive vertit Græca Latinè ſive Latina Græcè; cum ſua loquitur, duo quædam obſtrepunt delicato lectori, philoſophiæ ſtudium, in quo totus erat, & illud Græci γένειον ſermonis, quod Latinè loquentes ſequi ſolet, ac vix unquam dediſcitur. *B.* Quid vetat quo minus Græcus abſolvat Romanam linguam, ſi Britannis ac Friſonibus hoc contingit: præſertim, quum ſermo Græcus tum in verbis, tum in tropis plurimam habeat affinitatem cum Latino? *N.* Quid Britannis ac Friſonibus contigerit, aliis æſtimandum relinquo: mihi videtur affinitas ſermonis obſtare puritati. Citius enim purè Romanè loquetur Hibernus, quam Gallus aut Hiſpanus; quemadmodum

modũ citius Gallus diſcet Germanicè loqui purè, quam Italicè aut Hiſpanicè. Sed pergam. Georgium Merulam Alexandrinum eſſe ſcio, an Græcus fuerit neſcio, vir in reddendis Græcis ſplendidus & elegans, ut cum veteribus multis conferri queat. Marulli pauca legi tolerabilia, ſi minus haberent paganitatis. *M.* Muſurum propius novi, virum inſigniter eruditum in omni diſciplinarum genere, in carmine ſubobſcurum & affectatum: oratione proſa, præter unam alteramve præfationem, nihil quod ſciam reliquit. Mirabar hominem Græcum tantum ſcire Latinè. Et hunc fortuna retraxit à Muſis: dum Leonis favore Romam accitus incipit Archiepiſcopus eſſe, fato præreptus eſt. *B.* Recipies igitur Pomponium Lætum. *N.* Is elegantia Romani ſermonis contentus, nihil affectavit ultra. *B.* Platinam igitur? *N.* In hiſtoria valiturus erat, ſi nactus fuiſſet argumentum felicius. In optimo cive & Panegyrico nonnihil accedit ad Ciceronis imaginem, ſed tanto intervallo, ut hoc cognomen non promereatur eruditorum cal-

calculis; alioqui vir doctus, facundus, &, ni fallor, bonus. *B.* Quid Philippum Beroaldum majorem? Video, abnuis; id ſciebam fore. *N.* Imo annuo, ſi mihi commendas hominem de literarum ſtudiis præclare meritum: ſin poſtulas eum in *Ciceronianorum* adſcribi catalogum, abnuo. Philippum Beroaldum juniorem citius recepero, quanquam is perpauca miſit in literas. *B.* Jam fruſtra tibi recenſeam Georgium Vallam, Chriſtophorum Landinum, Mancinellum, Petrum Marſum, Baptiſtam Pium, Cornelium Vitellium, Nicolaos Leonicenum & Leonicum, Bartholomæum Scalam, Paulum Corteſium, Petrum Crinitum, Jacobum Antiquarium. *N.* Ut tu farragine quadam confundis diverſos! Mancinellos, Vitellios, Marſos ſile, cum agitur de eloquentia. Baptiſta Pius ſuo more loqui conatus eſt. Scala ſibi videbatur *Tullianus*, Politiano ne Latinus quidem videtur, adeo ut ne ſenſum quidem communem illi tribuerit. De Paulo Corteſio poſt dicetur. Petrus Crinitus

tus multum abeſt à charactere Ciceroniano, quanquam hominis eruditionem amplector. Leonicenus medicus erat, non rhetor. Leonicus in adytis philoſophiæ, præſertim Platonicæ, ſemper religioſè verſatus, ad Platonis ac Ciceronis Dialogos effingendos ſeſe compoſuit, & præſtat eloquentiæ tantum quantum fas eſt hodie à tali philoſopho requirere: *Ciceronianus* appellari nec ipſe cupiat, ni fallor; adhuc enim ſupereſt vir non minus integris moribus, quam eruditione recondita. *B.* Quid de Domitio Calderino? *N.* Bona ſpes erat, ni Romanæ deliciæ, mox præpropera mors intercepiſſent juvenis bene cœptũ in ſtudiis curſum. *B.* Porro Scipionem Carteromachum. *N.* Agnoſco virũ citra oſtentationem in utraque literatura doctum; cæterũ ex his, quæ ſcripſit, non apparet illum affectaſſe Tullianam eloquentiam. *B.* Non rejicies, opinor, Hieronymum Donatum, Patritium Venetum. *N.* Epiſtolæ, quod pæne ſolum illius habemus, declarant illum quidvis præſtare potuiſſe, ſi voluiſſet huc ani-

animum intendere; ſed reipub. negotia diſtraxerunt hominem ab otio literario. *B.* Agnoſcis Antonium Sabellicum? *N.* Agnoſco natura facundum, nec artis expertem. Nec infeliciter rhetoricatur interdum. In hiſtoria ſat ſplendidè verſatus; ſed in hac tantum, quæ ſuum dicendi genus deſiderat. *B.* Hactenus de mortuis pleriſque, nunc vivorum, ut aiunt, meminiſſe oportet; de quibus fortaſſe vereberis quid ſentias proloqui. *N.* Minime: quandoquidem fateor hoc laudis vix ulli mortalium adhuc contigiſſe. *B.* Noſti Paulum Æmilium? *N.* Hominis & reconditam eruditionem, & diligentiam, & vitæ ſanctitatem, & ſummam in hiſtoria fidem exoſculor: Tullianam dictionem nec affectavit nec habet. *B.* Profero Baptiſtam Egnatium. *N.* Virum non minus probum & integrum quam eruditum & eloquentem nominaſti: ſed cui *Tulliani* cognominis honorem negant doctorum ſuffragia. Doctè loqui maluit quam Ciceronianè, & quod voluit aſſequutus eſt. *B.* En tibi

Pau-

Paulum Bombaſium! *N.* Equidem exoſculor Paulum Bombaſium, prorſus aurei pectoris hominem, quo vix alius unquam vixit amico amicior: ſed valetudini parcens, non admodum indulſit ſtylo. Mox, ut erat animi minime abjecti, ſordidorum competitorum improbis contentionibus offenſus (nam Bononiæ publico ſalario Græcè profitebatur) ad reipub. negotia ſeſe contulit; tandem accitus Romam augere rem maluit, quam literis inſeneſcere. *B.* Fortaſſis æquior eris junioribus. Quid cenſes de Andrea Alciato? *N.* Referam quid eruditi ſentiant, qui propius hominem noverunt quam ego. Quam laudem M. Tullius partitur inter Q. Scævolam & M. Craſſum, quorum hic dictus eſt eloquentium juriſperitiſſimus, ille juriſperitorum eloquentiſſimus, totam in hunc unum competere judicant. Quid poſſit eloquentia declaravit in præfatione, quam Cornelio Tacito præfixam legimus. Nam in annotationibus docere propoſuit, non rhetoricari. *B.* Ex Italis, opinor, non ita mul-

multos prætermiſimus memorabiles. Sed heus! occurrit Hieronymus Aleander, nuper favore Clementis VII. Archiepiſcopus Brunduſinus; quem fortaſſe prætéritum non oportuit in hac recenſione. *N.* Quid is poſſit in hoc genere, non ſatis liquet ex his quæ ſcripſit. Nam & admodum pauca venerunt in lucem, in quibus ipſis non videtur hanc laudem ambiſſe: & jampridem civilia bellicaque negotia alio rapuerunt hominem, peritia linguarum eleganter inſtructum, ac prorſus indignum qui prophanis negotiis ſerviat. *B.* Equidem arbitror Albertum Carporum principem propius ad Tullianam phraſim accedere quam Aleandrum. Nihil hic edidit hactenus, quod equidem ſciam: unicum duntaxat librum, aut, ſi mavis, prolixam epiſtolam ab illo ſcriptam vidi, qua reſpondet Eraſmo; tametſi ſunt qui ceu compertum aſſeverant, ejus operis alterum eſſe fabrum. *N.* Accedit ille quidem, quiſquis eſt, quatenus licuit homini in theologicis ac philoſophicis literis ab adoleſcentia ver-

verſato. *B.* Vides quam multos celeberrimi nominis ſcriptores commemorârim, Noſopone, quorum nemini fateris *Tulliani* cognominis decus obtigiſſe. Fortaſſe nonnulli fallunt meam memoriam; tu ſuggere, ſi quos noſti, Hypologe. *H.* Duos Cœlios, Rhodiginum & Calcagninum, neſcio an volens prætermiſeris. *B.* Plane imprudens. *N.* Rhodiginus vir erat pius & variæ lectionis, in eloquentiæ certamen haud quaquam aſciſcendus: alter tum eruditione, tum eloquentia ſuperior; ſtylus elegans & ornatus, ſed nonnihil reſipiens philoſophiā ſcholaſticam: quæ res hactenus officit, non ut non poſſit inter facundos numerari, ſed ne inter *Ciceronianos*. *B.* Pauculos prætereo ſciens, ad quorum commemorationem ipſa nos reducet oratio tempeſtiviùs. Interim, ſi placet, in Galliam, & olim & hodie ſtudiis florentiſſimam, aliquantiſper migremus, ex ea duntaxat præcipuos relaturi, qui nuper ſcriptis in lucem editis eloquentiæ laudem emeruerunt. Robertus Gaguinus

nus non ita pridem habitus eſt magni nominis, dictione tamen quam ſcriptis vendibilior. *N.* Verum ſuo ſæculo; nunc vix inter Latinè loquentes reciperetur. *B.* Quid commemorem duos fratres Ferdinandos? *N.* Non feram. *B.* Quid ſi Guidonem Juvenalem? *N.* Multo minus. *B.* Quid ſi Jodocum Badium? *N.* Iſtum citius admiſerim in hoc laudis certamen, quam Appulejum: nec infeliciter omnino ceſſit conatus Badio; adeſt illi facilitas non indocta, felicius tamen ceſſurus, niſi curæ domeſticæ reiq; parandæ ſtudium interrupiſſent otium illud Muſis amicum, hujus laudis candidato neceſſarium. *B.* Fortaſſis hujus honorem tituli tribues Galliarum decori Guilhelmo Budæo. *N.* Quî tribuam quod ille nec ambit, nec agnoſceret ſi tribuero? Quanquam is alioqui eximiis variiſq; dotibus ſuſpiciendus eſt. *B.* Jacobus Faber habetur celebratiſſimus. *N.* Vir pius & doctus, ſed qui theologicè dicere maluerit quam Tullianè. *B.* Joannem Pinum fortaſſis agnoſces. *N.* Poſſet inter hujus laudis competitores

titores numerari, nisi & hunc negotiorum tumultus & Ecclesiastica dignitas à studiis avulsissent. Olim certe præclarum sui specimen dedit, cum Bononiæ Musarum sacra coleret. Nunc Episcopum audio factum. Quid accesserit eloquentiæ, nescio. Fieri potest ut plus accesserit eruditionis quam dignitatis. *B.* Agnoscis Nicolaum Beroaldum? *N.* Agnosco dictionis illaborato fluxu Pino non dissimilem; verum is in hoc genus nunquam nervos intendit suos, dicendo quam scripto felicior. Quid possit, satis divino; sed est magni laboris fugitantior. *B.* Franciscum Deloinum non vererer objicere; si se talem præstare potuisset in oratione librove, qualem se præstitit in epistolis ex tempore scriptis ad amicos. Quod sane prodigii simile videri possit in homine, qui sæculo non admodum felici totam pene ætatem in Accursiis, Bartholis ac Baldis contrivisset. In literis politioribus & senex & feliciter repubuerat. Hunc nuper mors terris eripuit, ipsi quidem matura, (senex enim

nim mortuus eſt) ſtudiis vero, quibus evehendis ornandiſque vir optimus natus videbatur, præpropera. Supereſt Lazarus Bayfius, qui unico libello de Veſtibus eoque non magno magnam laudem meruit, ſummamque ſpem de ſe præbuit, ſi quo cœpit curſu pergat in literarum ſtadio. Quanquam ad docendum appoſitus, argutus eſſe mavult, ut videtur, & Atticus, quam *Ciceronianus*. *B.* Succurrit etiam nunc par unum, nequaquam, ut arbitror, faſtidiendum. Noſti Claudium Cantiunculam Metenſem, & Cornelium Scepperum. *N.* Uterque mihi & è convictu notus eſt. Cantiuncula, ut eſt ingenio feſtivo, in quovis argumento tractando ſuaviſſima canit, præſertim oratione proſa: quantum valeat carmine neſcio, nec infeliciter properat ad exemplar Ciceronis. Fluxum, perſpicuitatem, copiam ac jucunditatem M. Tullii propemodum aſſequutus eſt. Sed jam pridem in principum legationibus fabulam agit motoriam, quum hoc negotium altiſſimam quietem deſideret: & tamen

men ita quotidie ſe ipſum vincit, quaſi per terras mariaque volitans Muſas omnes ſecum ducat comites. Habet hoc eximium, quod juris prudentiam ac philoſophiæ cognitionem eloquentiæ conciliavit. Scepperus, præterquam quod in omni diſciplinarum genere verſatus eſt, pari facultate & ſolutam orationem texit & carmen; quanquam & hic jam diu fabulam agit motoriam. *B.* De Ruellio quid ſentis? *N.* Quod peritiſſimo rei medicæ dignum eſt, in vertendis Græcis religioſæ fidei. Hoc laudis maluit quam haberi *Tullianus*. *B.* Sed ubi mihi ponendus eſt Petrus Moſellanus Trevir? inter Germanos, an inter Gallos? *N.* Nihil refert ad id ſane quod nunc agitur. *B.* Agnoſcis *Ciceronianum*? *N.* Admiror parem utriuſque linguæ peritiam, ingenium candidum minimeque ſordidum, induſtriam indefatigabilem, dictionem vividam, floridam ac dilucidam. Nihil ab eo non erat exſpectandum, niſi juvenem, non ita pridem hujus laudis agonem ingreſſum, præpropera mors,

gravi doctorum omnium mœrore, nec levi ſtudiorum diſpendio, ſuſtuliſſet è medio. *B.* E Galliis igitur, ſi videtur, iter flectamus in Angliam, non infelicem ingeniorum altricem. Sed Germanum Brixium pæne præterieram. Non ignoras virum pari dexteritate in utraque lingua, ſive carmen pangere velit, ſive proſam orationem condere: nec minus felicem Græcis in linguam Latinam transferendis. Anne hunc quidem recipies inter *Tullianos?* *N.* Ille quidem adhuc in curſu eſt: copiam & lucem aſſequutus eſt; in nonnullis tamen M. Tullio diſſimilis, ſed ita ut bonam de ſe ſpem præbeat, ſi, ut facit, totum ſe huic ſtudio dederit. Interim lubet gnaviter currenti applaudere. *B.* Nunc igitur in Britanniam: quæ quum multos habeat Tullianæ dictionis candidatos, tantum eos nominabo qui ſcriptis innoteſcere voluerunt. Si Guilhelmum Grocinum proferam; reſpondebis nihil illius exſtare præter unicam epiſtolam, elaboratam ſane & argutam ac bene Latinam. Maluit enim nihil ſcribere quam

quam nihil videre, homo natura luſciosus. Ad epiſtolarum argutiam appoſitus, Laconiſmum amabat & ſermonis proprietatem: diceres Atticum in hoc ſane genere, nec aliud affectavit. Ciceronis copiam ferre non potuit, ſi quando legeret illius libros. Nec ſcripto ſolum, ſed & dicendo Laconizabat. De hoc igitur non contendam. Sed Thomam Linacrum non verebor proponere. *N.* Novi virum undiquaque doctiſſimum; ſed ſic affectum erga Ciceronem, ut, etiam ſi potuiſſet utrumlibet, prius habuiſſet eſſe Quintiliano ſimilis quam Ciceroni, non ita multo in hunc æquior quam eſt Græcorum vulgus. Urbanitatem nuſquam affectat, ab affectibus abſtinet religioſius quam ullus Atticus, breviloquentiam & elegantiam amat, ad docendum intentus. Ariſtotelem & Quintilianum ſtuduit exprimere. Huic igitur viro per me quantum voles laudum tribuas licebit: *Tullianus* dici non poteſt, qui ſtuduerit Tullio eſſe diſſimilis. *B.* Reſtat Richardus Pacæus. *N.* Is quidem inter Tullianæ

facundiæ candidatos cenſeri poterat, niſi nimium illi placuiſſet extemporalis illa ſcribendi celeritas, & niſi mox juvenem è medio ſtudiorum curſu Pontificum ac Regum negotia prophanis curis propemodum obruiſſent. *B.* Ab Anglia migrabo, ſi tibi Thomam Morum produxero. *N.* Fateor ingenium feliciſſime natum, & quod nihil non potuiſſet efficere, ſi totum his ſtudiis vacare licuiſſet. Cæterum illo puero vix tenuis odor literaturæ melioris demigrârat in Angliam. Deinde parentum autoritas ad leges ejus gentis diſcendas, quibus nihil illiteratius, adegit; mox in cauſis agendis exercitatus, hinc ad reip. munia vocatus; vix ſubciſivis horis reſpicere potuit ad eloquentiæ ſtudia. Tandem in regiam pertractus, & regni regiorumque negotiorum undis immerſus, magis amare poteſt ſtudia quam colere: & tamen dicendi genus, quod aſſequutus eſt, magis vergit ad Iſocraticam ſtructuram ac dialecticam ſubtilitatem, quam ad fuſum illud Ciceronianæ dictionis flumen; quan-

quam

quam urbanitate nihilo M. Tullio inferior est. Quoniam autem adolescens diu versatus est in poëmatibus scribendis, poëtam agnoscas & in oratione prosa. *B.* Angliam igitur relinquamus. Neque enim nominabo Guilhelmum Latimerum, aut Reginaldum Polum: quorum prior, vir pius, theologiam absolvere maluit quam Ciceronianam eloquentiam; alter, Ciceronis admirator summus & æmulator non infelix, nihil adhuc suo nomine voluit in lucem prodire: quanquam in epistolis familiaribus satis declarat quid valeat; sed non traducam ea, quibus ipse lucem nondum tribuit. Alioqui habet innumeros ea insula, summæ spei juvenes; sed interim censorem agimus, non divinum. Quid autem mirum, illic efflorescere juventutem; ubi Rex ipse non solum præmiis excitat bene nata ingenia, verum etiam exemplo suo quamlibet pigris subdit calcaria; duobus jam libellis testatus, quantum & faveat pietati & ingenio facundiaque polleat. *N.* Ego sane libellos istos majorem in

modum admiratus ſum, non abhorrentes à dictione Tulliana, niſi quod argumentum & regia dignitas ſuum quoddam eloquendi genus deſiderare videtur. *B.* Quid ſupereſt igitur, niſi ut hinc navigemus in Hollandiam? *N.* Prius in Scotiam cenſeo. *B.* Non gravarer, ſi quem illic noſſem quem te laturum exiſtimem. In Daniam malo, quæ nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui ſuæ gentis hiſtoriam ſplendidè magnificéque contexuit. *N.* Probo vividum & ardens ingenium, orationem nuſquam remiſſam aut dormitantem, tum miram verborum copiam, ſententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem; ut ſatis admirari non queam, unde illa ætate homini Dano tanta vis eloquendi ſuppetierit: ſed vix ulla in illo Ciceronis lineamenta reperias. *B.* Igitur in Hollandiam. *N.* Imo prius in Zelandiam, ne quem prætereas. *B.* Alit & illa regio quædam dextra ingenia, ſed pleraque luxu obruuntur. Hinc ſane tibi profero Adrianum Barlandum, in cujus ſcriptis agnoſcas

ſcas candorem ac facilitatem Tullianæ dictionis. *N.* Accedit hac ſane parte, ſed totum Ciceronem non exprimit. *B.* E Zelandia facilis curſus eſt in Hollandiam, haud infœcundam bonorum ingeniorum parentem: ſed illic nec honos habetur eloquentiæ, & voluptates non temere ſinunt indolem matureſcere. Hinc tibi proferam Eraſmum Roterodamum, ſi pateris. *N.* Profeſſus es te de ſcriptoribus dicturum: iſtum vero ne inter ſcriptores quidem pono, tantum abeſt ut *Ciceronianis* annumerem. *B.* Quid ego audio? Atqui videbatur & inter πολυχάρτας cenſeri poſſe. *N.* Poteſt, ſi πολυχάρτας eſt qui multum chartarum oblinit atramento. Alia res eſt ſcribere, quo de nos agimus; & aliud, ſcriptorum genus. Alioqui qui manu deſcribendis libris quæſtum faciunt ſcriptores dicentur, quum hos eruditi malint librarios dicere. At hoc eſt nobis ſcribere, quod agro fructum producere: hoc nobis lectio, quod agro ſtercoratio: hoc nobis correctio & emendatio, quod in agris occatio,

paſtinatio, putatio, zizaniorum evulſio, ac reliquæ operæ, ſine quibus aut non emergit ſementis, aut non adoleſcit exorta. *B.* Quid igitur ille? *N.* Abjicit ac præcipitat omnia: nec parit, ſed abortit. Interdum juſtum volumen ſcribit ſtans pede in uno; nec unquam poteſt imperare animo ſuo, ut vel ſemel relegat quod ſcripſit; nec aliud quam ſcribit: quum poſt diutinam lectionem demum ad calamum ſit veniendum, idque raro. Quid, quod ne affectat quidem Tulliano more dicere, non abſtinens à vocibus theologicis, interim ne à ſordidis quidem? *B.* Terſior erat Guilhelmus Gandavus. *N.* Atticus erat in epiſtolis, in carmine bonus: ſed ô ſcelerate luxus, quantum ſelicium ingeniorum, vel corrumpis, vel abrumpis! *B.* Noſti Ægidium Delphum? *N.* Virum eruditionis variæ, verſificatorem non malum, ſi facilitati nervos addidiſſet. *B.* Nuper deceſſit Martinus Dorpius. *N.* Ingenium felix & ad quidvis verſatile, nec infeſtivum; ſed alienis judiciis quam ſuo duci maluit.

Tandem

Tandem theologiæ ſtudium retraxit hominem à Muſis. *B.* Quis tibi videtur Jacobus Ceratinus? *N.* Præclaram de ſe ſpem dedit; à *Ciceroniano* multum abeſt. *B.* Hinc igitur, ſi videtur, in Friſiam commigremus. Alit enim ea regio prorſus *alba*, quod dici ſolet, *ingenia*; ſed male convenit Como cum Muſis: Langios igitur & Canterios omittam, Rodolphus Agricola ſufficit unus pro multis. *N.* Agnoſco virum divini pectoris, eruditionis reconditæ, ſtylo minime vulgari, ſolidum, nervoſum, elaboratum, compoſitum; ſed qui non nihil reſipiat & Quintilianum in eloquendo & Iſocratem in orationis ſtructura, utroque tamen ſublimior, Quintiliano etiam fuſior ac dilucidior. Quod voluit, præſtitit; nec dubito quin Ciceronis figuram potuiſſet effingere, ſi huc vertiſſet animi ſtudium. Et huic tamen ad ſummam laudem cum alia quædam obſtitere, tum præcipue regionis ac temporum infelicitas, quibus vix quicquam honoris habebatur literis politioribus, & nationis

parum frugalis vita. In Italia ſummus eſſe poterat, niſi Germaniam prætuliſſet. *B.* Supereſt Hayo Hermannus, gentis ejuſdem. *N.* Agnoſco juvenem divinæ cujuſdam indolis, cujus tamen nullum exſtat in literis ſpecimen, præterquam in epiſtolis aliquot, quibus nihil purius, ſanius, aut ſuavius. Is ſortaſſe palmam hanc tulerit, ſi naturæ feliciſſimæ par acceſſerit induſtria. *B.* Haud tranſeundam cenſeo Weſtphaliam, quæ nobis dedit Alexandrum Hegium. *N.* Virum eruditum, ſanctum ac facundum nominas; ſed qui gloriæ contemtu nihil magni molitus ſit. *B.* Dedit & Hermannum Buſcium. *N.* In carmine pangendo felicem; in oratione ſoluta magna vis adeſt ingenii, lectio varia, judicium acre, nervorum ſatis, ſed compoſitio Quintiliano propior quam Ciceroni. *B.* Conradum Goclenium, opinor, non noſti. *N.* Num illum dicis, qui apud Brabantos jam pridem ornat non modo Collegium Buſleidianum, quod quidam Trilingue vocant; ſed totam etiam illam Academiam, licet ali-

alioqui florentiſſimam? B. Iſtum ipſum. *N.* Mihi quidem ἐξ οἴκου notus eſt. *B.* Nunquid in illo deſideras, quo minus habeatur inter *Ciceronianos*? *N.* Opinor illud ingenium poſſe quicquid ſerio voluerit: verum mavult obeſulus eſſe, quam πολυχάρος. *H.* Unum in illo novi, quo Ciceroni multum eſt diſſimilis. *B.* Quidnam? *H.* Ciceronem accipimus prælongo & exili fuiſſe collo: Goclenius & brevi & obeſo, & adeo non longo ut mentum pectori pæne contiguum ſit. *B.* Non hic de collo, ſed de ſtylo diſputamus. Cæterum, ut à Weſtphalia recedamus, habet Saxonia juvenes ſummæ ſpei, nihil mediocre de ſe pollicentes; quorum eſt & Chriſtophorus Carlebitzius, imaginibus majorum ornatiſſimus, ſed literis ac moribus compoſitiſſimis ornatior. Verum horum commemoratione te non fatigabo, quorum indoles adhuc ſuboleſcit, &, ut ita loquar, in herba eſt. Pergam ad reliquos Germanos: quorum princeps fuit Capnion. *N.* Vir magnus, ſed oratio redolebat ſuum ſæculum

culum adhuc horridius impolitiuſque: qualis & Jacobus Wimphelingus, & ſi qui ſunt hujus ſimiles, quorum opera tamen non parum utilitatis acceſſit Germaniæ ſtudiis; quanquam hic in nepote ſuo quodam modo repubuit Jacobo Spiegellio. *B.* Capnionis ergo diſcipulum agnoſcis Philippum Melanchthonem. *N.* Nihil hoc ingenio felicius, ſi totum vacaſſet Muſis. Nunc hanc laudem leviter affectavit; ac naturæ felicitate contentus, nec artis nec curæ permultum ad ſcribendum adhibuit; & haud ſcio, an affectantem nervi fuerint defecturi. Extemporali dictioni natus videtur: nunc aliis intentus, eloquentiæ ſtudium magna ex parte videtur abjeciſſe. *B.* En igitur tibi Ulricum Huttenum! *N.* Sat ſplendoris & copiæ præſtat in oratione ſoluta, in carmine felicior erat; cæterum à Ciceronis imagine procul aberat. *B.* Bilibaldum prius commemoraſſe oportuit, quo duce primum efflorescere cœpit apud Germanos eloquentia, quam & morum pietate & fortunæ ſplendore illuſtravit.

vit. *N.* An ille ſequatur, neſcio, certe non aſſequitur; nec tam obſtat ingenium quam reip. negotia, parumque proſpera valetudo, quum non alius ſit proſperrima dignior. Tamen ex tempore ſcribens adeo feliciter, abunde declarat quantum præſtare valeret, ſi nervos intenderet ſuos. *B. Ulrico Zaſio* plurimum laudis tribuit univerſa Germania. *N.* Minus tamen quam vir ille promeritus eſt. Præter exactam juris, quod profitetur, ſcientiam, feliciſſima quædam adeſt vel ex tempore ſcribendi dicendique facultas. Diceres orationem bonis electiſque verbis ſimul ac ſententiis, ex uberrimo quodam manare fonte; adeo nec reſiſtit uſquam, nec hæret, nec interſileſcit: tum adeſt etiam in ſcriptis alacritas juvenilis, &, ut ita dicam, vita: negares ſenis eſſe quod legis; attamen Politianum propius exprimit quam Ciceronem. *B.* Age: ſed ex proximo tibi profero Brunonem Amerbachium Rauracum, quo viro nihil unquam natura finxit candidius. Quatenus licet ex guſtu co-

cognoſcere, magnus erat futurus, ni feſtinata mors juvenem ſtudiis eripuiſſet. *B.* Henricum Glareanum agnoſcis Helvetium. *N.* Is maluit in philoſophia ac mathematicis diſciplinis conſeneſcere, quam æmulari phraſim Ciceronianam, cui vix convenit cum ſubtilitatibus mathematicorum. *B.* Unus ſupereſt, quem ſi non recipis, migrabimus in Pannoniam. *N.* Quis? *B.* Urſinus Velius. *N.* In carmine felix, nec infelix in oratione ſoluta: ſpirituum & urbanitatis habet affatim. Ubi prodierit hiſtoria, quam de rebus à Pannoniæ Boiohœmiæque Rege Ferdinando geſtis texere dicitur, certius pronunciabimus. *B.* Mihi certa ſpes eſt, illum & Principis ſui claritati, & rerum magnitudini, facundiæ viribus reſponſurum. Hujus commemoratio nos deduxit in Pannoniam; nam illic nunc agit ubi neminem novi, præter Jacobum Piſonem, ſtudioſum eloquentiæ Tullianæ candidatum: ſed primum aula, deinde calamitas, nuper etiam mors hominem nobis abripuit. *N.* Audivi & dolui. *B.* Habet

bet & Sarmatia, quos non poſſis contemnere; ſed non commemorabo, niſi qui libellis in lucem datis ſui ſpecimen dederunt. Horum Princeps eſt Andreas Critius, Epiſcopus Plocenſis, qui prorſus *ingenium habet*, ut ait ille, *in numerato:* carmina pangit feliciter, felicior etiam in oratione ſoluta: præſto eſt ex tempore ſcribenti docta facilitas, ſermo perpetua quadam orationis feſtivitate jucundus. *N.* Paucula quædam illius deguſtavi, quæ mihi ſane ſpem egregiam præbent, niſi legationibus, tum regni ſimul & eccleſiæ negotiis cogatur à Muſarum otio receedere. *B.* Jam Hiſpania, quæ non ita jam pridem cœpit ad priſtinam ingeniorum gloriam refloreſcere, doctos & eloquentes viros permultos, qui ſcriptis innotuerunt, non ita multos habet: in his Antonium Nebriſſenſem, virum eruditionis variæ; ſed cujus mentionem laturus non ſis in catalogo *Ciceronianorum*. *N.* Rem divinaſti. *B.* Ne Lopidem quidem, opinor, aut Sanctium. *N.* Hic theologus eſt, nec affectavit hanc laudem: ille multo in-

infelicior eſt in laudando, quam in reprehendendo: nec hic, nec ille *Ciceronianus*. *B.* Demirabor, ſi Joannem Ludovicum Vivem ab hoc honore ſubmovebis. *N.* Equidem nec ingenium, nec eruditionem, nec memoriam in illo deſidero; adeſt illi parata ſententiarum ac verborum copia, quumque fuerit initio duriuſculus, in dies magis ac magis in illo matureſcit eloquentia: quem ſi nec vita nec ſtudium deſtituerit, bona ſpes eſt fore, ut inter *Ciceronianos* numeretur. Sunt enim quibus ſcribendi conatus juxta Mandrabuli morem, ut habet proverbium, ſuccedat. Hic quotidie vincit ſe ipſum, & habet ingenium ad quidvis verſatile, eoque ad declamandi facultatem unicè compoſitus. Aliquot tamen M. Tullii virtutes nondum abſolvit, præcipue jucunditatem dictionis ac mollitudinem. *B.* Et Luſitanos aliquot eruditos novi: qui vulgârint ingenii ſui ſpecimen neminem novi, præter Hermicum quendam, in epigrammatibus ſelicem, in oratione ſoluta promtum ac facilem,

ad ar-

ad argutandum dexterrimæ dicacitatis; & Geneſium, qui nuper edito Romæ libello præclaram de ſe ſpem præbuit. Vide quot regiones peragraverimus, Noſopone, dum unum quærimus *Ciceronianum*; nec quiſquam adhuc repertus eſt, quem digneris hujus cognominis honore, cujus amor te macerat. Quot priſcos commemoravimus, quot ſæculorum poſteriorum, quot noſtræ ætatis recenſuimus: in quibus, ut ſint nonnulli, quos faſtidioſus cenſor poſſit contemnere; quam multi ſunt, qui ſuum quiſque ſæculum, ſuam patriam, qui Eccleſiam, qui rem literariam doctrina facundiaque ſua ornarunt, illuſtrarunt, nobilitarunt; nec ullum tamen adhuc invenimus *Ciceronianum?* Quid reliquum eſt, niſi ut proficiſcamur in inſulas fortunatorum, inde petituri quem donemus hoc nomine? Moderatius perpetimur mala nobis cum pleriſque communia. Non mœret Hiſpanus, ſi non habet flavam cæſariem; non Indus, quod colore ſit lurido; non Æthiops, quod atro, quod ſi-

mis

mis naribus : & tu diſcrucias animum tuum, nec concoquere potes convitium, quod non es *Ciceronianus?* Hoc an malum ſit, neſcio : ſed ſi eſſet malum, non tu æquo animo ferres incommodum tibi cum tot talibuſque viris commune? *N.* Atqui hoc laudis aſſequutus eſt Chriſtophorus Longolius, homo Brabantus, tum apud Gallos educatus. Huic uni Ciſalpinorum palmam hanc tribuunt Itali ; cæteros omnes, ut barbaros, ſubmovent. *B.* Plurimum ſane laudis tulit Longolius, ſed nimio emtum. Diu tortus eſt, tandem & immortuus eſt certamini nondum peracto, non levi profecto ſtudiorum jactura ; quibus magno uſui futurus erat, niſi totum animum omneſque ingenii vires in vani tituli ſtudium contuliſſet : quanquam ille non uni Tullio aſſidebat, ſed per omne autorum genus ſeſe volverat, diſciplinas liberales omnes diligenter edidicerat, ultra juris peritiam; nec erat contentus exprimere lineamenta Ciceronis, ſed in inventione rerum peracutus fuiſſe videtur

detur & copioſus, in tractandis argumentis dexter ac felix, nuſquam non præbens admirandæ cujuſdam indolis ſpecimen. Nihil eſt igitur quod iſti Ciceronis ſimii nobis Longolium objiciant: aliis dotibus ille magnus erat, etiam ſi *Ciceronianus* non fuiſſet: & hæc ipſa vaniſſimi tituli ambitio fructum propemodum ſtudiorum illius corrupit, vitam abrupit. Quanquam multum etiam abfuit à Cicerone; cui materia defuit exercendæ mirabilis illius eloquentiæ, quam in ſeriis gravibuſque cauſis Cicero præſtitit. Longolius edidit epiſtolas, ſane quam elegantes ac feliciter elaboratas, fateor; ſed multas argumento perquam humili, plures affectato: quod genus videntur aliquot epiſtolæ Plinii junioris. Atqui tales non arbitror in epiſtolarum numero ponendas. Quid enim habent epiſtolæ Senecæ quod epiſtolæ congruat, præter titulum? At in Ciceronis epiſtolis nihil eſt accerſitum. Aut de gravibus ſeriiſque negotiis ſcribit ea, quæ coram exponeret,

neret, ſi licuiſſet; aut cum amicis abſentibus de familiaribus colloquitur rebus; aut de ſtudiis confabulatur, quemadmodum ſolent amici præſentes inter ſe miſcere ſermonem. Quid, quod Cicero non edidit epiſtolas ſuas; & quaſdam videtur ſcripſiſſe negligentius, quam loqui ſolitus erat? Unde bona pars earum, quas Tiro Ciceronis libertus collegerat, intercidit; haud opinor peritura, ſi docti eas judicaſſent immortalitate dignas. Primum igitur illa ſimplicitas & gratia ſermonis inaffectati; deinde veritas abeſt in epiſtolis Longolii pleriſque. Ad hæc, quoniam non eadem fuit fortuna Longolii quæ Ciceronis, nec eadem negotia; fit ut interdum inepta ſit ac frigeat imitatio: quod genus ſit; M. Tullius ſenator & vir conſularis ſcribit ad ſuæ dignitatis homines, quid moliantur duces in provinciis, quam inſtructæ ſint legiones; oſtendit periculum, divinat rerum exitum. Cum ad imitationem Ciceronis ſimilia ſcribit ad eruditos amicos & in otio viventes Longolius, veluti ſollicitus de ſum-

ſumma rerum, nonne friget affectatio? Quid, quod ipſe in Muſæum abditus interdum literis mandat vaniſſimos rumores, quales vulgo circumvolitant, indigni qui vel ſermone cordati hominis commemorentur? Sed in orationibus, inquis, quas duas reliquit, velut in Capitolio habitas, Ciceronem præſtitit. Eas ego ſane magna cum animi tum admiratione, tum voluptate legi, fateor. Effecerunt enim, ut de illius ingenio longe quam ante magnificentius ſentirem. Adeo, cum de illo præclaram concepiſſem exiſtimationem, vicit multis partibus exſpectationem meam. Videtur enim in has depromſiſſe quicquid vel ſuo potuit ingenio, vel è Ciceronis orationibus hauſerat. Eæ tamen tot annis elaboratæ, toties ſub incudem revocatæ, toties Criticorum cenſuram perpeſſæ, quantulum habent Ciceronis? Non quidem Longolii culpa, ſed temporum. Aptiſſime dicebat Cicero; vix apte Longolius: quandoquidem Romæ nec patres conſcripti ſunt hodie, nec ſenatus, nec populi

auto-

autoritas, nec tribuum ſuffragia, nec magiſtratus qui ſolent eſſe, nec leges, nec comitia, nec actionum forma, nec provinciæ, nec municipia, ſocii, cives : poſtremo Roma Roma non eſt, nihil habens præter ruinas ruderaque, priſcæ calamitatis cicatrices ac veſtigia. Tolle Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, Curiam & hujus officiarios ; deinde legatos principum, eccleſiarum, collegiorum & abbatiarum ; tum colluviem hominum, partim qui vivunt ex hiſce nundinis, partim qui vel libertatis amore, vel ſortunam aucupantes eò confluunt : quid erit Roma? Dicet aliquis, Pontificum regnum à Chriſto traditum auguſtius eſſe, quam fuerat olim ſenatus populique Romani, aut etiam, ſi libet, Octavii Cæſaris. Mea nihil refert, modo fateaſis diverſum regni genus eſſe. Quo fit, ut nec oratio congruat eadem : ſi putamus Ciceronianum eſſe, ſermonem ad rem præſentem accommodare. At ille præclarus juvenis orationem attemperavit ad hominum affectus ; qui veterem Romam, *rerum*

domi-

dominam gentemque togatam adhuc ſomniant; quemadmodum Judæi nondum deſinunt ſuum Moſen, ac templum Hieroſolymitanum ſomniare. Jam Chriſtophorus juvenis nec magiſtratu, nec rebus geſtis, nec ullo alio nomine magnus erat quam ingenio: quod ego ſane pulchrius eſſe duco, quam ſi regno polluiſſet. Sed hæc perſona nihil ad Ciceronem. Nunc argumentum accipe. Inciderat illi contentio cum Italo quodam adoleſcente, in hoc, opinor, ſubornato ut Ciceronianam eloquentiam à barbaris vindicaret. Et eſt, ut audio, nunc Romæ ſodalitas quædam eorum, qui plus habent literaturæ quam pietatis: docti vocantur, & apud multos habentur in pretio. Per hos otioſos hoc certamen, ſtudiis hinc atque hinc efferveſcentibus, accenſum eſt; ut ea civitas undiquaque captat voluptatis materiam. Interim Longolii cauſam gravabat Lutheri cauſa, cujus gratia apud Romanos male audiebat quicquid erat affine Germaniæ, ne dicam Ciſalpini omnes. Itaque Chriſtophoro, tametſi

tametſi natione barbaro, (nam hujuſmodi vocabulis adhuc utuntur illi, quaſi facies rerum non tota ſit immutata) tamen ob admirandam ſermonis elegantiam, viſum eſt candidioribus aliquot, honoris gratia decernere civis Romani titulum. Fiebat hoc olim, & erat munus non minus utile quam honorificum. Nunc autem quid eſt eſſe civem Romanum? Profecto minus aliquanto quam eſſe civem Baſileenſem, ſi contemtis verborum fumis, rem æſtimare libeat. Atque hinc in barbarum Longolium competitoris ipſique faventium invidia. Tandem quæſita eſt illa voluptas otioſis, ut in Capitolio (ſic enim vocant curiam quandam non admodum magnificam, in qua ſolent agi per pueros exercitandi ingenii gratia fabulæ) cauſam diceret Longolius. Subornatus adoleſcens audaculus, qui accuſatione, quam ab alio compoſitam edidicerat, recitaret. Accuſationis hæc erant capita: primum, quod Chriſtophorus Longolius olim puer, dum ingenii periclitandi gratia laudat Galliam, in

qua tum vivebat, in nonnullis auſus ſit eam æquare Italiæ; deinde, quod in ea laudaſſet tribus verbis Eraſmum & Budæum, barbarus barbaros; præterea, quod diceretur ab his ſubornatus ac delegatus in Italiam, ut optimos quoſque libros deportaret ad barbaros, quo poſſent cum Italis de principatu eruditionis contendere; poſtremo, quod homo barbarus & obſcuræ familiæ, minime dignus videretur honore tanti cognominis, ut civis Romanus appellaretur. Habes præclarum argumentum, in quo nervos intendas eloquentiæ Tullianæ. Atqui hoc plane ludicrum ille pluſquam ſeriò agit, mirifico ſane verborum apparatu, magna ingenii ſignificatione, ſumma vehementia, multa interdum urbanitate; non aliter alludens ad ætatem Ciceronis, quam is qui ſcripſit Batrachomyomachiam alluſit ad Homericam Iliadem, ranis ac muribus rebuſque ridiculis ac frivolis Deorum, Dearum, heroum ſplendida verba factaque accommodans. Ita Longolius exaggerat capi-

tis diſcrimen, armatas cohortes, gladiatorum manum; quorum violentia autoritas ampliſſimi ordinis, ac ſecundum leges agendi libertas fuerit impedita. Fingit priſcam illam Romam orbis reginam, & hujus præſidem ac tutorem Romulum cum ſuis Quiritibus: ſomniat P. C. & auguſtiſſimum ordinem regnorum dominum, populum in ſuos ordines ac tribus diſtinctum, prætorum jus, tribunorum interceſſionem: ſomniat provincias, colonias, municipia & ſocios urbis ſepticollis: recitatur ſenatus conſultum, citantur leges: miror non meminiſſe clepſydrarum, quæ reo ſolent infundi; novem, opinor. Hic excitantur illa σάος, appellantur veteres illi Romanæ civitatis principes, æque monumentis excitantur: quid non? Perquam facetus res eſt. Equidem fateor hunc ludum videri poſſe non inelegantem, ſi ad eum modum exerceretur juventus in ſcholis declamatoriis: etiamſi non fruſtra præcepit Quintilianus, ut declamationis ſimulacrum quam proxime accedat ad veras acti-

actiones; nimirum quod quidam declamandi themata petere ſoleant è Poëtarum fabulis, nec veris, nec veri ſimilibus. Nam habent in adoleſcentibus & illa progymnaſmata fructum haudquaquam pœnitendum; cum, argumento ex hiſtoria ſumto, verba ſententiæque ad illorum temporum conditionem accommodantur. Sed tamen inſtructior erit ad veras cauſas agendas, qui quæſtionem tractat præſentis temporis involutam circumſtantiis. veluti ſi quis tractet, num expediat Reip. ut principes filias aut ſorores ſuas in procul ſemotas regiones elocent: an ſit in rem Chriſtianæ pietatis, proceres Eccleſiaſticos onerari ditione prophana: utrum conſultius ſit juvenem evolvendis autoribus, an peragrandis longinquis regionibus periclitandiſque rebus multarum rerum cognitionem colligere: num expediat puerum imperio deſtinatum, aut natum, multum temporis in literis ac liberalibus diſciplinis conſumere. Cæterum argumentum quod tractat Longolius, quum nec

ſit ex hiſtoria petitum, ut ſaltem per fictionem ſuo tempori congruere poſſit; nec ejuſmodi tamen, ut vere ſuo tempori ſuiſq; perſonis conveniat: quî fieri potuit, ut hic totum exprimeret Ciceronem, qui, depulſis armis Antonii ſublatoque mortis metu, libere dixit apud ſenatum populumque Romanum? In hac tamen materia tanto ſtudio, tantaq; ingenii dexteritate rem geſſit egregius juvenis; ut hodie neminem norim vel apud Italos, (cum pace omnium dixerim) quem exiſtimem idem præſtare poſſe; tantum abeſt, ut Longolii laudibus aliquid ſtudeam detrahere. Talibus enim ingeniis non queam non favere, etiam ſi mihi male vellent. Hæc eò tantum dicuntur, ut adoleſcentiæ ſtudiis proſpiciam, ne ſe ſuperſtitioſè diſcrucient affectatione Ciceronianæ ſimilitudinis; ſic ut hac intentione ab utilioribus magiſque neceſſariis ſtudiis avellantur. Rem habes, Noſopone: orationes ſuperſunt, quæ me coarguant, ſi quid mentior. Nunc mihi rationem ineas velim, ſitne operæ

peræ pretium ingenia feliciſſimè nata in has ἀπλήκτους tantum ætatis & operæ conſumere, ne dicam immori talibus curis. Quantum utilitatis vel religioni Chriſtianæ, vel ſtudiis, vel patriæ laturus erat, ſi vigilias, quas actionibus illis ludicris impendit, in res ſerias collocaſſet? *N.* Profectò miſeret me Longolii, & vix habeo quod reſpondeam. *B.* Ad hæc, teſtatur ſe ſcripſiſſe orationes quinque in laudem urbis Romæ. O pulchrè collocatam operam! Quanto rectius eam collocaſſet, ſi civitatem illam, atque eos præcipue qui bonas literas ibi profitentur, orationibus aliquot elaboratis ad Chriſti cultum ac pietatis amorem inflammare ſtuduiſſet! Intelligis, Noſopone, quid dicam; imo potius quid non dicam. At quibus tandem vigiliarum tantum datum eſt? Senatui? Senatus, ſi quis omnino Romæ eſt, latinè neſcit. Populo? Barbarè loquitur: tantum abeſt, ut dictione Tulliana capiatur. Sed valeant hæc ἀπλήκτικά. Adverſus Martinum Lutherum rem agit & ſeriam & gra-

vem. Ubi quî potuit eſſe *Tullianus*, de rebus diſſerens, quas M. Tullius prorſus ignoravit? At oratio non poteſt eſſe Tulliana, id eſt optima, quæ nec tempori, nec perſonis, nec rebus congruit. Satis quidem Tullianè convitiatur. Ubi tandem ventum ad errorum capita recenſenda, ſubobſcurus eſt, & vix ab illis intelligitur qui Lutheri dogmata tenent. Atqui hic res ſummam orationis perſpicuitatem deſiderabat, ſi voluiſſet eſſe *Ciceronianus*. Jam ex ipſa rerum propoſitione non difficile fuerit conjectare, qualis futurus fuerit in refellendis dogmatibus adverſarii, ſuiſque confirmandis. Sedulo quidem vitat voces noſtræ religionis, nunquam uſurpans *fidei* vocabulum, ſed in ejus locum ſubſtituens *perſuaſionem*, aliaque permulta quæ prius attigimus: ſemel tamen atque iterum utitur nomine *Chriſtiani*; per imprudentiam, opinor: nam ea dictio nuſquam exſtat in libris Marci Tullii. Quanquam & hic multa feliciſſime dixit, nec alia re magis peccavit, quam quod nimis anxiè

anxiè ſtuduit eſſe *Ciceronianus*, cui maluit orationem congruere quam cauſæ. *N.* Attamen iſtis dictu mirum quam nunc applaudant Itali quidam. *B.* Confiteor, laudant illa, ſed iſta legunt. Batavi oratoris nænias, quæ Colloquia vocantur, quanto plures terunt manibus quam Longolii ſcripta, quamlibet elaborata, quamlibet expolita, quamlibet Tulliana, &, ut Græcè dicam melius, κατορθώματα? Quid in cauſa? quid? niſi quod illic res ipſa capit moraturque lectorem qualicunque ſermone tractata. Ad hæc, quoniam theatrica ſunt & vita carent, dormitat lector ſtertitque. Utilitas commendat etiam mediocrem eloquentiam. Quæ tantùm afferunt voluptatem, eadem diu placere non poſſunt, præſertim iis, qui literas in hoc diſcunt, non ſolum ut politiùs dicant, verum etiam ut rectiùs vivant. In ſumma, qui juvenem illum ad hujus laudis ambitum inflammarunt, non optime meriti ſunt vel de ipſo vel de re literaria. Sed de Longolio fortaſſe nimis multa. *N.* Prætercur-

tercurriſti Jacobum Sadoletum ac Petrum Bembum; prudens, opinor. *B.* Næ prudens: viros eximios raraque horum temporum exempla nolui miſcere turbæ. Petri Bembi nihil exſtat, quod ſciam, præter aliquot epiſtolas: in quibus exoſculor non modo dilucidum quoddam, ſanum, &, ut ita dicam, Atticum dicendi genus; ſed probitatem, humanitatem, ac ſingularem ingenii candorem in oratione velut in ſpeculo relucentem: nec alia re vel fortunatiorem, vel ornatiorem judico Longolium, quam talium virorum amicitia. At Jacobus Sadoletus, cætera fere æqualis Bembo, in commentario quem elegantiſſimum edidit in Pſalmum L. non adeo affectat haberi *Ciceronianus*, ut non perſonæ decorum tueatur, (eſt enim Epiſcopus Carpentoractenſis,) ut non materiæ ſerviat, ne in epiſtolis quidem abhorrens à vocibus quibuſdam Eccleſiaſticis. Quid igitur? Non dixit Tulliano more? Non dixit: imo dixit potius, qui eo modo dixit, quo probabile eſt iiſdem de rebus, ſi viveret, dictu-

dicturum esse Ciceronem, hoc est de Christianis Christianè. Hujusmodi *Ciceronianos* ferre possum, qui summo præditi ingenio, disciplinis omnibus absoluti, tum judicio prudentiaque singulari, sive unum Tullium in dicendo sibi proposuerunt, sive paucos eximios, sive doctos omnes, non possunt non optime dicere. *N.* Multum suffragiis eruditorum tributum est Baptistæ Casselio. *B.* Oratio de lege Agraria, quam paullo ante mortem edidit, declarat illum summo nisu Tullianæ dictionis affectasse lineamenta: & hactenus propemodum assequutus est quod voluit: lucis habet plurimum, verba nitida, compositionem suavem. Cæterum, immane quantum est quod desideratur, si ad Ciceronem conferas. *N.* Certe Pontanum uno ore prædicant omnes; huic Ciceronianæ dictionis palmam tribuunt eruditorum centuriæ. *B.* Non sum vel tam hebes, vel tam invidus, ut non fatear Pontanum multis egregiis ingenii dotibus virum fuisse summum. Ac me quoque rapit placido quodam orationis lapsu: ver-

borum dulce quiddam reſonantium amœno tinnitu demulcet aures: demum ſplendore quodam perſtringit dignitas ac majeſtas orationis. *N.* Quid igitur obſtat, quo minus illum fateare *Ciceronianum? B.* Ex meo judicio nihil illius laudi vel acceſſerit vel deceſſerit. Quædam illius deguſtavi. Tractat materias prophanas, quaſique locos communes, de fortitudine, de obedientia, de ſplendore: quæ tractata facillime niteſcunt, atque ex ſe facile ſuppeditant ſententiarum copiam; eaſque ſic tractat, ut ægrè poſſis agnoſcere Chriſtianus fuerit, necne. Similiter temperat ſtylum in libello de Principe. Præterea non memini me quicquam illius legiſſe, præter aliquot Dialogos ad Lucianum effictos. At ego non agnoſcam *Tullianum*, niſi qui res noſtras Ciceroniana tractet felicitate. In Epigrammatibus plus tuliſſet laudis, ſi vitaſſet obſcœnitatem; quod nec in Dialogis ſatis cavet. In Meteoris & Vrania quæſivit materiam quæ facile ſplendeſcit, & rem ſane felicem feliciter tracta-

vit;

vit; nec illic requiro Chriſtianam dictionem. In cæteris interdum deſidero decorum & aptum, & aculeos quos M. Tullius in animo relinquit etiam poſito codice. Certe ad iſtam legem, quam tu nobis præſcripſeras, *Ciceronianus* non erit, in cujus ſcriptis ſexcentas voces poſſem oſtendere, quæ nuſquam ſunt apud Ciceronem. Poſtremo vides quam infrequens ſit in manibus Pontanus, vir extra controverſiam in literis inter præcipuos numerandus. *N.* Pontano ſucceſſit Accius Sincerus, qui partum virginis matris mirè felici carmine deſcripſit, cui ſupra modum applauſum eſt à Romano theatro. *B.* Teſtantur hoc abunde Leonis & Clementis Brevia, (ſic enim hodie vocant,) tum Ægidii Cardinalis addita præfatio, ne cæteros commemorem: nec ſine cauſa tantopere placuit. Mihi certe magna cum animi voluptate perlectum eſt opus utrumque: nam & Eclogas ſcripſit piſcatorias. Quis autem talem indolem in juvene patricio non exoſculetur? Hoc nomine præferen-

ferendus eſt Pontano ; quod rem ſacram tractare non piguit, quod nec dormitanter eam nec inamœnè tractavit: ſed meo quidem ſuffragio plus laudis erat laturus, ſi materiam ſacram tractaſſet aliquanto ſacratiùs. Qua quidem in re levius peccavit Baptiſta Mantuanus, quanquam & alias in hujuſmodi argumentis uberior. Nunc quorſum attinebat hic toties invocare Muſas & Phœbum? Quid, quod Virginem fingit intentam præcipue Sybillinis verſibus; quod non apte Proteum inducit de Chriſto vaticinantem; quod Nympharum, Hamadryadum ac Nereidum plena facit omnia? Quam durè reſpondet Chriſtianis auribus verſus ille, qui, ni fallor, Virgini matri dicitur: *Tuque adeo ſpes fida hominum, ſpes fida Deorum.* Scio *Deorum* metri gratia poſitum loco *Divorum.* Me quidem leviter offendit in tot virtutibus, quod Synalœphæ frequentes hiulcam reddunt compoſitionem. Ne multis: ſi carmen hoc proferas ut ſpecimen adoleſcentis poeticen meditantis, exoſcula-

eulabor: ſi ut carmen à viro ſerio ſcriptum ad pietatem, longe præferam unicum hymnum Prudentianum de natali Jeſu tribus libellis Acii Sinceri; tantum abeſt, ut hoc carmen ſufficiat & ad proſternendum funda Goliam eccleſiæ minitantem, & ad placandum cithara Saulem furentem, quam laudem illi tribuunt præfationes. Atque haud ſcio, utrum ſit magis reprehendendum; ſi Chriſtianus prophana tractet prophanè, Chriſtianum ſe eſſe diſſimulans; an ſi materias Chriſtianas tractet paganicè: ſiquidem Chriſti myſteria non ſolum eruditè, verum etiam religioſe tractanda ſunt. Nec ſatis eſt temporaria delectatiuncula delinire lectoris animum; excitandi ſunt affectus Deo digni. Quod fieri non poteſt, ni penitus cognitum habeas argumentum quod verſas: nec enim hic inflammabis, ſi frigeas ipſe: nec ad amorem rerum cœleſtium accendes lectorem, ſi tibi talium vel levis admodum vel nulla cura eſt. Hic ſi præſto ſunt, vel ultro, nec accerſita, vel non magno conſtantia dictionis

ctionis ornamenta, figurarum illecebræ, quibus faſtidioſum lectorem allicimus allectumque remoramur; non arbitror rejicienda, modo primas teneant ea quæ præcipua ſunt. Quale porro ſit, materiam piam ob hoc ipſum putere nobis, quod piè tractata ſit? At piè tractari quî poteſt, ſi nunquam dimoveas oculos à Virgiliis, Horatiis ac Naſonibus? Niſi forte quorundam ſtudium approbas, qui fragmentis Homericorum aut Virgilianorum verſuum undique decerptis, & in centonem conſarcinatis, Chriſti vitam deſcripſerunt. Operoſum ſane ſcribendi genus; ſed cui unquam iſta lacrymulam extuderunt? quem ad pietatem commoverunt? quem ab impura vita revocarunt? Atqui non ita multum diſſimilis eſt iſtorum conatus, qui verbis, ſententiolis, figuris ac numeris ex Cicerone congeſtis conveſtiunt argumentum Chriſtianum. Quid enim laudis fert ille rhapſodus? Nempe quod accuratè verſatus eſt in Homero ſive Virgilio. Quid fructûs affert hic *Ciceronianus*? Applau-

plauditur diligenter in M. Tullii ſcriptis verſato; ſed tantum ab iis, qui & ipſi in iiſdem verſati quid unde decerptum ſit agnoſcunt. Habet ea res voluptatem plane quandam, fateor, ſed cum apud perpaucos, tum ejus generis, ut facile vertatur in ſatietatem; poſtremo quæ nihil aliud ſit quam voluptas. Cæterum illud ſine quo Fabius negat eſſe mirabilem eloquentiam, quod in concitandis affectibus ſitum eſt, prorſus abeſt. Et tamen nobis interim videmur Marones ac Cicerones. Dic mihi, Noſopone, ſi quis argumentum rapti Ganymedis eleganter conſtructum opere Muſaïco diſſolvat, & iiſdem teſſellis aliter concinnatis exprimere conetur Gabrielem cœleſte nuntium afferentem Virgini Nazarenæ: nonne durum parumque felix opus naſcetur ex optimis quidem teſſellis, ſed minus argumento congruentibus? *N.* Poëtas excuſat à priſcis conceſſa licentia. *B.* Audies hic illud Horatianum: *At non ut placidis coeant immitia, non ut ſerpentes avibus geminentur, tigri-*

gribus agni. Minus, opinor, convenit Muſis, Apollini, reliquiſque Diis poëticis cum Chriſtianæ pietatis myſteriis; quam ſerpentibus cum avibus, aut tigribus cum agnis, præſertim in argumento ſerio. Alioqui, ſi quid obiter per jocum aſpergatur ex veterum fabulis, ferendum arbitror magis quam probandum. Oportebat enim omnium Chriſtianorum orationem reſipere Chriſtum; ſine quo nec ſuave, nec ſplendidum eſt quicquam, nec utile, nec honeſtum, nec elegans, nec facundum, nec eruditum. Liceat ſane præludere ad ſeria pueris. In veris, in ſeriis, quodque gravius eſt, in piis materiis, quis feret iſta paganica progymnaſmata? *N.* Quod igitur tuum eſt conſilium, ut Ciceronem abjiciam è manibus? *B.* Imo ut ſemper in ſinu ſit potius adoleſcenti eloquentiæ candidato: ſed quorundam morositas faſtidiumque prorſus abjiciendum eſt, qui ſcriptum alioqui doctum & elegans rejicere ſolent, & indignum lectu judicare, non ob aliud niſi quod ad Ciceronis imita-

mitationem non ſit elaboratum. Primum enim, non quibuſlibet ingeniis congruit Tulliana phraſis, ut male ceſſura ſit affectatio: deinde, ſi deſunt naturæ vires ut inimitabilem dicendi felicitatem aſſequaris, quid ſtultius quam in eo diſcruciari, quod non poteſt contingere? Ad hæc, nec materiæ cuivis, nec perſonis omnibus congruit Tulliana phraſis; &, ſi congrueret, quædam negligere præſtat quam nimio parare. Si M. Tullio tanti conſtitiſſet ſua facundia, quanti nobis; aliqua ni fallor ex parte neglexiſſet orationis ornamenta. Nimio verò paratur, quod tanto ætatis, valetudinis ac vitæ etiam diſpendio emitur. Nimio paratur, cujus gratia diſciplinas cognitu magis neceſſarias negligimus. Denique nimio paratur, quod pietatis jactura emitur. Si ideo diſcitur eloquentia ut delectemus otioſos, quid attinet rem ſcenicam tot vigiliis perdiſcere? Sin ut perſuadeamus quæ ſunt honeſta, efficacius dixit Phocion Athenienſis quam Demoſthenes; ſæpius perſuaſit Cato Uticenſis

cenſis quam Marcus Tullius. Jam ſi in hoc paratur eloquentia ut ſcripta noſtra terantur manibus hominum, & ſi citra ſtudium contingeret Ciceronianæ dictionis ſimilitudo; tamen arte varietas eſſet affectanda, quæ lectoris nauſeanti ſtomacho mederetur. Tantam vim habet in rebus humanis varietas, ut nec optimis ſemper expediat uti. Nec uſquam non verum eſt illud Græcorum proverbio jactatum, μιτακολὴ πάντων γλυκύ. Nec alio nomine magis commendatur Homerus & Horatius, quam quod rerum ac figurarum admirabili varietate non ſinunt oboriri tædium lectionis. Ad hanc nos natura quodammodo finxit, ſuum cuique tribuens ingenium; ut vix duos reperias, qui eadem vel poſſint vel ament. Jam quum nihil ſit humano ſtomacho delicatius aut faſtidioſius; tum ad eruditionem parandam tantum voluminum nobis ſit devorandum: quis poſſet in perpetua lectione perdurare, ſi cunctorum eſſet idem ſtylus ac ſimilis dictio? Præſtat igitur, ut in epulis, ita & in

in ſcriptis eſſe quædam deteriora, quam per omnia ſimillima. Qualis autem eſſet ille convivator, qui cum plurimos acciperet, inter quos vix duo palati judicio conſentiunt, cibos apponeret omnes eodem more conditos, etiam ſi delicias Apicianas apponeret? Nunc dum alius alio dicendi genere capitur, fit ut nihil non legatur. Ut ne repetam, quod ipſa quoque natura repugnat iſti affectationi, quæ voluit orationem eſſe ſpeculum animi. Porro quum tanta ſit ingeniorum diſſimilitudo, quanta vix eſt formarum aut vocum; mendax erit ſpeculum, niſi nativam mentis imaginem referat. Et hoc ipſum eſt quod in primis delectat lectorem, ex oratione ſcriptoris affectus, indolem, ſenſum, ingeniumque cognoſcere, nihilo minus quam ſi complures annos cum illo conſuetudinem egeris. Et hinc diverſorum tam diverſa erga librorum ſcriptores ſtudia, prout quemque genius cognatus aut alienus vel conciliat vel abducit: haud aliter quam in formis corporum alia ſpecies alium dele-

delectat offenditve. Dicam quid mihi contigerit. Adoleſcens adamabam poëtas omnes. Verum ſimul atque ſum Horatio factus familiarior; præ hoc omnes cæteri putere cœperunt, alioqui per ſe mirabiles. Quid exiſtimas in cauſa fuiſſe, niſi geniorum arcanam quandam affinitatem, quæ in mutis illis literis agnoſcitur? Hoc genuinum ac nativum non ſpirat in oratione nihil niſi Ciceronem exprimentium. Quid, quod probi viri, quanquam parum felici forma nati ſunt, nolint tamen appoſita perſona formoſiſſimi cujuſpiam mentiri ſpeciem; ac ne pingi quidem alia forma ſuſtineant, quam dedit natura: quod turpe ſit, mentita facie imponere cuiquam; & ridicula res ſit mendax ſpeculum, aut aſſentatrix imago? At turpius mendacium ſit, qui, quum ſim Bulephorus, velim haberi Noſoponus aut alius quilibet. Annon igitur ab eruditis merito ridentur improbi quidam; qui viros, alioqui doctos & eloquentes ac nominis immortalitate dignos, non alio nomine rejiciunt

ciunt ac velut è bibliothecis ſubmovent, niſi quod ſe ipſos ſtylo maluerint exprimere quam Ciceronem: quum impoſturæ genus ſit te ipſum non exprimere, ſed alienæ formæ præſtigium oculis hominum objicere? Et haud ſcio, an, ſi liceat ita permittente Deo, multos inventuri ſimus, qui totam corporis ſui ſpeciem velint cum aliena commutare: multo pauciores arbitror fore, qui mentem & ingenium totum cum alterius ingenio ſint permutaturi. Primum, quod nemo velit alius eſſe quam eſt: deinde, quòd ſuis quiſq; dotibus ſic temperatus eſt naturæ providentia, ut etiam ſiquid adſit vitii, virtutibus adjunctis paria faciat. Habet animus faciem quandam ſuam in oratione velut in ſpeculo relucentem; quam à nativa ſpecie in diverſum refingere, quid aliud eſt quam in publicum venire perſonatum? *N.* Vide ne, quod aiunt, ſepta tua tranſiliat oratio: quæ mihi videtur eò provecta, ut damnet omnem imitationem; quum rhetorica tribus potiſſimum conſtet, præceptis, imitatione, & uſu. niſi for-

forte qui M. Tullium imitantur, faciem alienam aſſumunt: qui cæteros, ſuam habent. *B.* Amplector imitationem, ſed quæ adjuvet naturam, non violet; quæ corrigat illius dotes, non obruat: probo imitationem, ſed ad exemplum ingenio tuo congruens, aut certe non repugnans; ne videare cum Gigantibus πυγμαχεῖν. Rurſus imitationem probo non uni addictam præſcripto, à cujus lineis non auſit diſcedere; ſed ex omnibus autoribus, aut certe præſtantiſſimis, quod in quoque præcellit maxime, tuoque congruit ingenio, decerpentem: nec ſtatim attexentem orationi quicquid occurrit bellum, ſed in ipſum animum velut in ſtomachum trajicientem; ut transfuſum in venas, ex ingenio tuo natum, non aliunde emendicatum eſſe videatur, ac mentis naturæque tuæ vigorem & indolem ſpiret, ut qui legit non agnoſcat emblema Ciceroni detractum, ſed fœtum è tuo natum cerebro, quemadmodum Palladem aiunt è cerebro Jovis, vivam parentis imaginem referentem: nec

ora-

oratio tua cento quiſpiam videatur, aut opus Muſaïcum, ſed ſpirans imago tui pectoris, aut amnis è fonte cordis tui promanans. Sit autem prima præcipuaque cura penitus cognoſcendæ rei, quam tractandam ſuſcipis. Ea tibi ſuppeditabit orationis copiam, ſuppeditabit affectus veros ac nativos. Ita demum fiet, ut tua vivat, ſpiret, agat, moveat & rapiat oratio, teque totum exprimat. Nec ſtatim adulterinum eſt quod accedit ex imitatione. Eſt aliquis cultus qui nec virum dedecet, & nativam formam commendat; veluti lotio, vultus moderatio, ſed in primis cura bonæ valetudinis. Jam, ſi tuam faciem velis ad ejus ſpeciem componere qui tibi diſſimillimus eſt, nihil agas. Cæterum ſi videris in quopiam, tui non admodum diſſimili, effuſiore riſu immodicaque rictus diductione dehoneſtari formam, aut adductione ſupercilio-rum, corrugatione frontis, ſubductione naſi, reductione labiorum, aut improba oculorum ſublatione, aliiſque ſimilibus minus decentem redi

di faciem: potes his vitatis tuam formam reddere meliorem; nec tamen vultum ſumes alienum, ſed tuum compones. Item vides alterum parum decere cæſariem impexam aut æquo promiſſiorem: tuam licebit corrigere. Rurſum ſi conſpexeris in alio quantum addat gratiæ frontis hilaritas modeſta, oculorum verecundia, totuſque vultûs habitus ad probitatem compoſitus, ut nec torvum quicquam aut inſolens, nec leve aut incompoſitum præ ſe ferat; non erit præſtigium ſi tuum vultum ad hujus imitationem formaris. Siquidem in te ſitum eſt, ut & animus vultui reſpondeat. Quoniam autem varia eſt formarum gratia, ne ſtatim exiſtimes deterius quod diſſimile eſt illi, cujus formam miraris. Nam, quemadmodum diximus, fieri poteſt, ut qui inter ſe diſſimillimi ſunt, æquales tamen ſint: nec quicquam vetat, quin Ciceroni diſſimillimus potior ſit eo, qui Ciceronis lineamenta propius exprimit. Age: ponamus aliquantiſper noſtros amores; ex judicio rati-

rationis, non ex affectu feramus sententiam: si tibi tua Pitho det optionem, utrum pro Nosopono Quintilianus esse malles, an is qui de Rhetoricis scripsit ad Herennium? Utrum eliges? *N.* Equidem esse malim Quintilianus. *B.* Et tamen alter quanto Ciceroni similior est! Utrum malles esse Sallustius, an Q. Curtius? *N.* Malim esse Sallustius. *B.* At Q. Curtius propius accedit ad Ciceronem. Utrum malles esse Leonardus Aretinus, an Laurentius Valla? *N.* Malim Valla. *B.* Leonardus tamen Ciceroni vicinior est. Utrum malles esse Hermolaus Barbarus, an Christophorus Landinus? *N.* Barbarus. *B.* At alter ille propinquior est M. Tullio. Utrum malles esse Politianus, an Paulus Cortesius? *N.* Politianus. *B.* At alter videri postulat *Ciceronianus*. Jam utrum malles esse Tertullianus, hæresim excipio, an Beda? *N.* Tertullianus. *B.* At Beda plus habet phraseos Ciceronianæ. Utrum malles esse Hieronymus, an Lactantius? *N.* Hieronymus. *B.* At alter

quantus eſt Ciceronis ſimius! Vides igitur non continuo melius dicere eum qui propius accedit ad Ciceronem, nec pejus qui diſſimilior eſt. Denique quemadmodum plures eſſe poſſunt Attici, qui tamen inter ſe diſſimillimi ſunt: ita nihil vetat quo minus plures dicantur *Ciceroniani*, qui dicendi virtutibus pares ſunt, cum inter ſe ſimiles non ſint. At quis ferat ſciolos quoſdam, miro ſupercilio rejicientes quicquid non referat lineamenta Tullianæ phraſeos, quam verbulis duntaxat, figuris & numeris expendunt? Frigide ſectatur Tullianam phraſim, qui non multorum auctorum lectione, multarum diſciplinarum ſcientia, multarum cognitione rerum inſtructus accedit: ne repetam quod dictum eſt de vi naturæ & prudentia. Feram tamen hanc ineptam gloriolam in adoleſcente: feram in doctis, qui hunc nævum multis egregiis dotibus penſant: quis ferat ſenes qui nihil aliud captant quam ut ſint *Ciceroniani*; qui viros ipſis & eruditiores & eloquentiores eradunt ex albo

bo ſcriptorum, quod auſint à Ciceronis lineamentis alicubi recedere, quum ipſi fere adeo *Ciceroniani* non ſint, ut ſubinde deſtituantur Grammaticæ præſidiis? Non exprimam quorundam nomina, quibus fortaſſe in votis ſit vel ſic innoteſcere. De Bartholomæo Scala dicam, cui Hermolaus & Politianus viſi ſunt parum *Ciceroniani*: ipſe ſibi *Tullianus* eſt viſus, utcunque diſſimulat; at ego malim ſomnia Politiani, quam quæ Scala ſobrius ſummoque ſtudio elaboravit. Paulus Cortelius non diſſimulat hujus affectationis ſtudium; ſed, Deum immortalem, quanto longius illius epiſtola diſcrepat ab imagine Ciceronis, quam Politianica cui reſpondet! Sed non alia re mihi videtur Ciceroni diſſimilior Corteſius, quam quod toto fere ſermone aberrat à ſcopo. Sic enim agit cauſam, quaſi Politianus deterreat ab imitatione Ciceronis; tum quaſi nolit eum qui ſcribit ullum ſcriptorem ſibi imitandum proponere, quum eos taxet qui nulla lectione bonorum autorum, nulla eruditione, nullo uſu inſtructi tantum hoc moliuntur,

ut Ciceronis exprimant lineamenta: quos ob id ſimios appellat Ciceronis. Taxat eos qui ex Cicerone verba fruſtulatim mendicant; qui ſemper alienis ingrediuntur veſtigiis, cum nihil ex ſe gignant; qui nihil aliud quam imitantur, & verbula duntaxat imitatur. Hos negat ſe ferre poſſe, qui, cum nihil minus ſint quam *Ciceroniani*, tamen Ciceronis titulo ſeſe venditantes non verentur de ſummis viris pronunciare. Proinde monet amicum ut poſteaquam Ciceronem primum, at non ſolum, ſed cum aliis multis eximiis ſcriptoribus diutina lectione contriviſſet, edidiciſſet, concoxiſſet; tum demum, ſi quando pararet aliquid ſcribere, poneret moroſam illam & anxiam ſollicitudinem imitandi tantum Ciceronem, nunquam à lineamentis illius oculos deflectens: quod hæc anxietas efficiat, ut minus hoc ipſum aſſequaris quod ſequeris. An hoc eſt deterrere ab imitatione Ciceronis? Num hoc eſt docere neminemomnino imitandum eſſe? An is qui varia lectione inſtructus, atque, ut ita dicam, ſaginatus, dum ſcripturienti quod in quo-

quoque legit optimum venit in mentem, non imitatur aliquem; etiamsi non illis servit, nec assidet, sed suos affectus ac rem de qua parat dicere adhibet in consilium? At Cortesius negat sibi placere simios Ciceronis: *Similem*, inquiens, *volo, mi Politiane, non ut simiam hominis, sed ut filium parentis*, eadem loquens quæ dixerat Politianus. Id multis verbis prosequutus, tandem, velut immemor sui, fatetur *se malle esse simium Ciceronis quam aliorum filium.* Si vox hæc *aliorum* complectitur Sallustium, Livium, Quintilianum, Senecam; quis non malit se esse similem illis, quemaddum filius similis est patri, quam sic esse similis M. Tullio, quemadmodum simia similis est homini? Post hæc multa congerit in eos qui sese ingurgitant varia lectione, nec ea quæ legunt concoquunt: horum orationem existere scabram, inconditam & asperam. Sed quid hæc ad epistolam Politiani? Si sentit cum illo, cur ita respondet quasi dissentiat? Si dissentit, quæ Politianus

probat erant reſellenda: nam illud vel maxime Ciceronianum eſt diſpicere quid ſit in controverſia, quid conveniat cum adverſario, & in quo ſit cauſæ ſtatus, neque quicquam extra cauſam dicere. Proinde prolixam epiſtolam elaboravit Corteſius, magis quam Ciceronianam; cui, velut aliena loquenti, nihil reſpondit Politianus. At Politianus, qui audiebat non *Ciceronianus*, quanto melius Ciceronem exprimit, breviore licet epiſtola, non tantum ſententiarum argutia, verum etiam verbis aptis, elegantibus ac ſignificantibus: etiamſi me non fugit hujus viri meritis famam apud eruditos Italiæ malignius reſpondiſſe: quam ob rem, neſcio. Neque vero mihi dicuntur hæc in ſuggillationem Corteſii, nec enim contumelioſum eſt poſtponi vix cuiquam imitabili Politiano; ſed ut adoleſcentibus exemplo commonſtretur, quid ſit vere Ciceronem exprimere. *H.* Tot ambagibus nos circumagis, Bulephore, ut parum abſit, quin ex Hypologo fiam Hyponoſus. Quin tu ſimpliciter expla-

plana quid de Cicerone, quidque de hoc imitando ſentias. *N.* Hoc ipſum & ego pervelim: nam eo propemodum tua me perduxit oratio, ut ſtatuerim tuis obtemperare conſiliis. *B.* Nihil arbitror reſtare, niſi ut quæ ſparſim differta ſunt hactenus in compendium contrahamus. *N.* Quis tibi videtur M. Tullius? *B.* Dicendi artifex optimus, atque etiam, ut inter ethnicos, vir bonus; quem arbitror, ſi Chriſtianam philoſophiam didiciſſet, in eorum numero cenſendum fuiſſe qui nunc ob vitam innocenter pieque tranſactam pro Divis honorantur. Artem & uſum in illo plurimum valuiſſe fateor: ſed multo maximam eloquentiæ ſuæ partem debuit naturæ, quam nemo ſibi dare poteſt. Nec alium e Latinis ſcriptoribus arbitror magis habendum in ſinu pueris & adoleſcentibus, qui in eloquentiæ laudem educantur. Poëtarum tamen lectionem Latinorum duntaxat volo priorem eſſe, quod hoc Muſæ genus magis convenit ætati teneræ. Nec quemquam ad Ciceronis accuratam

imitationem vocari volo, niſi prius cognitis artis rhetoricæ præceptis. Poſt hæc adeſſe volo commonſtratorem artis, veluti ſolent pictores diſcipulis in tabula quapiam inſigni demonſtrare, quid ex arte factum ſit, quid contra. Rurſus M. Tullium in parte ſtudiorum præcipuum ac primum eſſe volo, non ſolum; nec ſequendum tamen puto, ſed imitandum potius atque æmulandum etiam: etenim qui ſequitur, alienis ingreditur veſtigiis, & ſervit præſcripto. Porro vere dictum eſt, cum non poſſe bene ambulare, qui pedem ſemper ponit in alieno veſtigio; nec unquam bene natare, qui non audet abjicere ſuber. Imitator autem non tam eadem dicere ſtudet, quam ſimilia; imo ne ſimilia quidem interdum, ſed paria magis: æmulator vero contendit etiam melius dicere, ſi poſſit. Nullus autem fuit unquam tam abſolutus artifex, in cujus opere non aliquid deprehendas quod melius reddi poſſit. Ad hæc, nolim hanc imitationem nimis anxiam ac ſuperſtitioſam eſſe; nam hoc ipſum obſtat quo minus

minus efficiamus quod volumus. Nec ita censeo M. Tullium adamandum, ut à cæteris omnibus abhorreas; sed optimos quosque primum legendos, & ex optimis quid in quoque est optimum excerpendum: neque enim est necesse ut quemquam totum imiteris. Nec illos aspernandos censeo qui dictionem quidem non multum juvant, sed tamen rerum copiam suppeditant, velut Aristoteles, Theophrastus & Plinius. Ad hæc, nolim quemquam sic addictum esse Ciceroni imitando ut à suo recedat genio, & valetudinis vitæque dispendio consectetur quod repugnante Minerva non possit assequi; vel nimio constaturum sit, si tandem assequatur. Præterea, nolim hoc solum agi: nec ita laudem Ciceronianæ dictionis ambiendam arbitror, ut liberales disciplinas cum primis necessarias negligas. Ab istis verò velut à peste cavendum, qui clamitant esse nefas uti voce quæ non reperiatur in libris Tullianis. Posteaquam enim jus Latini sermonis desiit esse penes vulgarem consuetudinem;

quicquid vocabulorum deprehenditur apud idoneos ſcriptores uſurpemus noſtro jure, quum opus eſt. Et, ſi durius obſoletumque videtur quod à paucis ſit uſitatum, nos in lucem proferamus, crebraque ac tempeſtiva uſurpatione molliamus. Quæ tandem invidia ſit, quum veteres Græcorum voces mutuo ſumſerint, quoties Latinæ vel deerant, vel minus ſignificantes habebantur; nos, ubi res poſtulat, à dictionibus, quas apud probatos autores comperimus, temperare? Nec minore ſtudio fugiendi videntur & illi, qui rejiciendum & omnino lectu indignum vociferari ſolent quicquid verbis, formulis & numeris non effectum ſit ad Ciceronis imitationem; quum liceat diverſis virtutibus, ſi non ſimiles, certe pares eſſe Ciceroni. Abſit à nobis hæc faſtidioſa moroſitas; quin potius quod Naſo ludens narrat ſibi accidiſſe in puellarum amoribus, id nos ſerio præſtemus in autorum lectione. Ille proceram commendabat puellam quod heroina videretur, brevis placebat ob commoditatem,

tem, primam ætatem flos ipſe commendabat, grandiorem rerum uſus, in illiterata delectabat ſimplicitas, in erudita ingenium, in candida coloris gratiam amabat, in fuſca neſcio quid latentis gratiæ ſibi fingebat. Eodem candore ſi nos ex ſingulis ſcriptoribus excerpimus quod habent probandum, nullum faſtidiemus; ſed ex omnibus aliquid delibabimus, quod noſtram condiat orationem. Cæterum illud ante omnia providendum, ne ſimplex ac rudis ætas, *Ciceroniani* cognominis præſtigio decepta, pro Ciceroniana fiat Pagana. Videmus enim hujuſmodi peſtes nondum prorſus exſtinctas ſubinde meditari repullulaſcentiam, ſub hoc fuco veteres hæreſes, ſub alio Judaiſmum, ſub alio Paganitatem. Sic ante complures annos factiones oriri cœperant apud Italos Platonicorum & Peripateticorum. Faceſſant hæc diſſidiorum cognomina; ea potius inculcemus, quæ & in ſtudiis & in religione & in omni vita concilient alantque mutuam benevolentiam. Proinde de rebus ſacris pri-

primum ea combibenda eſt perſuaſio, quæ vere Chriſtiano digna ſit. Id ſi fiat, nihil videbitur ornatius cœleſti philoſophia, nihil ſuavius Jeſu Chriſti nomine, nihil venuſtius vocabulis quibus Eccleſiæ lumina res arcanas tractarunt. Nec videbitur illius ſermo venuſtus, qui non congruit perſonæ, nec rebus eſt accommodatus: monſtroſus etiam qui res pietatis tractat verbis impiorum, quique materiam Chriſtianam paganicis nugis contaminat. Quod ſi quid hic veniæ datur adoleſcentiæ, ne ſibi ſumat idem juris ætas provectior. Qui ſic eſt *Ciceronianus* ut parum ſit Chriſtianus, is ne *Ciceronianus* quidem eſt; quod non dicit apte, non penitus intelligit ea de quibus loquitur, non aſſicitur his ex animo de quibus verba facit: poſtremo, non eodem ornatu tractat res ſuæ profeſſionis, quibus Cicero tractavit argumenta ſuorum temporum. Huc diſcuntur diſciplinæ, huc philoſophia, huc eloquentia, ut Chriſtum intelligamus, ut Chriſti gloriam celebremus. Hic

eſt

eſt totius eruditionis & eloquentiæ ſcopus. Admonendi ſumus & illud, ut quod in Cicerone præcipuum eſt imitemur. Id non in verbis, aut orationis ſuperficie; ſed in rebus ac ſententiis in ingenio conſilioque ſitum eſt. Quid enim refert, ſi filius parentem oris lineamentis referat, cum ingenio moribuſque ſit diſſimilis? Poſtremo, ſi non continget nobis ut iſtorum ſuffragiis *Ciceroniani* dicamur, moderate ferendum eſt quod nobis cum tot egregiis viris, quos ante recenſuimus, commune eſt. Stultum eſt ſequi quod aſſequi non poſſis: delicatum eſt ob id miſerè diſcruciari quod tot eximii ſcriptores æquo tulerunt animo: indecorum eſt affectare quæ nobis non congruunt: ineptum eſt aliter velle dicere quam res poſtulat: inſanum eſt tantis vigiliis emere quod vix uſquam ſit uſui futurum. Hujuſmodi ferme pharmacis medicus ille meo me morbo liberavit: quæ ſi non gravabimini devorare, ſpero futurum ut & te, Noſopone, & te, Hypologe, febris iſta relin-

linquat. *H.* Ego ſane jamdudum morbo levatus ſum. *N.* Et ipſe propemodum; niſi quod mali diu familiaris etiamnum reliquias aliquas ſentio. *B.* Iſtæ paulatim elabentur: &, ſi quid opus erit, denuo τὸν ἰατρὸν medicum accerſemus.

EX-

EXCERPTA EX
ERASMI
Et Aliorum Epiſtolis
De Eodem
ARGUMENTO.

Eraſ. Roterodamus P. Merbelio, & Jo. Baptiſtæ Laurentiæ S. D.

AD unanimes unicis literis reſcribo: quanquam & alioqui ad compendium me redegit chiragra & podagra; aut, ut melius dicam, holagra. Cum à nullo malo minus mihi timuerim, nunc aſſidua luctа eſt, & plane capitalis. Ante dies aliquot reſpondi paucis. Eam Epi-

epiſtolam miſi ad negotiatorem à vobis deſignatum. Hæc illum fortaſſis antevertet. Inhumanus ſim, niſi mihi gratum ſit veſtrum erga me ſtudium. Conſultius tamen arbitror iſtas juvenum ineptias negligere: quorum tumultus non alio tendant, quàm ut ſectarum auctores ſubverterunt religionem, ita iſti perdant ſtudia, quibus ſe venditant; utq; ex literis humanitatis reddant literas inhumanitatis, & ex camenis furias. Libellum, quem ad me miſiſtis, ante complures annos acceperam. In eo nihil video, quod ad me pertineat. Si me faciunt Ciceronis hoſtem, tota errant via. Qui ſoli titulum hunc promerentur hoc ſæculo mihi ſunt amiciſſimi, P. Bembus, Ja. Sadoletus, & And. Alciatus. Id quod multis illorum epiſtolis amantiſſime ſcriptis declarare poſſum. Nunc narrant Lugduni excuſum librum acidum in me, autore Steph. Doleto; cujus extant orationes, & epiſtolæ ſtomachis magis cavendi, quam movendi. Eum nondum vidi, & ſi videro, non eſt animus reſpondere. Eſt Longus quidam, cui nunquam viſus ſum:

qui

qui non calamo, ſed lingua nuſquam non proſcindit Eraſmum. Ab hoc, quia ij quorum benignitate fovetur mihi ſunt amici, ſcribunt alium ſubornatum Uratiſlavienſem; cujus libellus volitat per totam Italiam; nondum, quod ſciam, excuſus, ad me Roma miſſus eſt manu deſcriptus: nihil unquam legi ſtolidius. Julius Scaliger Lutetiæ edidit in me orationem impudentiſſimis mendacijs, ac furioſis convitijs differtam: cujus tamen ipſum non eſſe autorem multis ac certis argumentis compertum habeo. Sed hoc calciamentum ab alio mihi non ignoto conſutum ille inquit. Cum talibus ingenijs luctari non eſt animus, nec expedit: idem à vobis fieri vellem. Quærunt antagoniſtas. Si adeſt Auguſtinus Scapinellus, qui nuper ad me ſcripſit Ferraria; quæſo, ut homini meo nomine ſalutem dicatis, & quidem de meliore nota. Nihil enim unquam pectore illo vidi candidius. Vobis precor omnia læta. Apud Friburgum Briſgoiæ XVIII. die Martii, anno à nato ſervatoris CIↃ IↃ XXXV.

Eraſ-

Eraſmus Rot. Joanni Ulatteno S. D.

—Mihi puero minus arridebat Cicero, quam Seneca: jamque natus eram annos viginti, priuſquam ferrem diutinam ejus lectionem, cum cæteri pæne omnes placerent. An ætatis progreſſu profecerim, neſcio; certe nunquam mihi magis placuit Cicero, tum quum adamarem illa ſtudia, quam nunc placuit ſeni: non tantum ob divinam quandam orationis felicitatem, verum etiam ob pectoris eruditi ſanctimoniam. Profecto meum afflavit animum, meque mihi reddidit meliorem. Itaque non dubitem hortari juventutem, ut in hujus libris evolvendis atque etiam ediſcendis bonas horas collocent potius, quam in rixoſis ac pugnacibus libellis, quibus nunc undique ſcatent omnia. Me vero, tametſi jam vergente ætate, nec pudebit, nec pigebit, ſimulatque extricâro me ab his quæ ſunt in manibus, cum meo Cicerone redire in gratiam, priſtinamque familiaritatem nimium multis annis intermiſſam renovare men-

ſes

ses aliquot. Visum est autem hoc, quicquid est operæ, tibi dicare, multis ac magnis dotibus ornatissime Ulattene; sive ut hoc argumento declararem, mihi nondum excidisse suavissimam illam consuetudinem, qua mihi primum Friburgi singularis humanitas tua, rara-que morum dexteritas cognita perspectaque est: sive ut haberes hos Ciceronis libros emendatiores, quos literariæ pubi juberes prælegi. Nam scholæ quoque curam potissimum ad te pertinere dicebas. Cæterum isthic esse ranarum chorum, quæ bonis obstrepant literis, mirum videri non debet; quum hæ nusquam desint, quæ cantionem illam occinant è vetere comœdia, βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ. *At, istis fortiter neglectis, oportet ea sequi quæ maxime sunt in rem juventutis. Ad id præcipue conducet, si ludo præficiatur aliquis non minus bonis moribus, quam bonis literis præditus, cui salarium augeatur pro merito. Is primum jactis utriusque linguæ fundamentis optimos quosque autores prælegat, hoc est, M. Tullium, & ut quisque est M. Tullio proximus.—*

Eras-

Eraſmus Rot. Jacobo Tuſſano *S. D.*

Magnum officium eſt, eruditiſſime Tuſſane, rei bonæ admoniſſe quempiam. Itaque gratiam non mediocrem iniit apud me Nicolaus Epiſcopius, juvenis mire candidus; quod ſuis literis ſignificavit, & eruditionem iſtam tuam Budeanæ proximam in utraque lingua, & candorem quendam propenſumque favorem erga noſtra qualiacunque ſtudia. Nam eruditionem his temporibus gratulari licet permultis, quum candorem animi non perinde probes in omnibus, quem certe in Longolio nonnunquam deſidero, quum me ſemper habuerit eruditionis ingeniique ſui tum fautorem propenſiſſimum, tum præconem haud quaquam malignum. Sed undecunque concepit ille hoc in me ſtomachi, doleo virum ante diem ereptum liberalibus ſtudiis vel ornandis vel provehendis. Quaſi parum ſit in orbe factionum, revixit nova factio Ciceronianorum; *nimirum quo Budæum & Eraſmum ſubmoveant ex albo doctorum, & è manibus*

vibus hominum excutiant. Ut fateor Ciceroni primam in dicendo laudem deberi, ita puto ridiculum tota vitâ nihil aliud agere, quàm ut Ciceronem unum exprimas. Quanquam nec hi Ciceroniani *ſunt, qui neminem lectitant niſi Ciceronem.*

Eraſmus Rot. Andreæ Alciato S. D.

SI inter tot Bellonæ tumultus incolumis eſt præſidio Muſarum Alciatus, eſt quod vehementer gaudeam. Longolium immatura morte prærreptum ſane doleo. Cupiebam illum vel ſtudiis promovendis ſupereſſe, utcunque in nos fuit animatus. Jacit enim in ſuis epiſtolis neſcio quas ſtomachi ſignificationes, nunc Moriam taxans, nunc in Batavum oratorem neſcio quid ἀποσκάλλων, *quaſi ipſe natus fuiſſet Athenis. Ego de hominis ingenio ſemper candidiſſime ſenſi. Quum Lovanii nos inviſeret, hominem, quanta per occupationes licuit, humanitate tractavi. Nec divinare poſſum unde hoc ſtomachi in me conceperit, niſi quod conjecto duas fuiſſe cauſas. Quum*

ex-

expetiſſet ſecretum colloquium, dedi. Exorſus prolixam fabulam, quomodo Romæ in Capitolio cauſam dixerit magno capitis periculo: hic, opinor, viſus ſum parum attentus, præſertim quum ſerio vultu ſubinde repeteret, admonens ut ejus facinoris alicubi meminiſſem in ſcriptis meis. Reſpondi ut ſoleo in re quæ mihi leviter eſt cordi. Hoc illum, opinor, male habuit. Deinde nonnihil expoſtulavit mecum de epiſtola quadam ipſius inter meas excuſa, in qua confert me cum Budæo; in qua mihi placebant omnia præter hoc quod addit juxta calcem epiſtolæ, demirari ſe cur Rex exterum ſuo civi præferendum putarit. Verum hoc, quamvis præter cauſam dictum, non obſtitit, quo minus honoris illius gratia vulgarem epiſtolam. Quum oſtenderet quæ perperam eſſent excuſa, ſic mutavit quædam ut meliora fuerint quæ videri volebat depravata. Et in hac re decreverat totum diem inſumere, niſi ego pertæſus pro mea ſimplicitate ſermonem abrupiſſem. In te quoque torſit allegoriam ſatis mordacem: ſed rem ingenioſam fecit, injecto, quod

ajunt,

ajunt, ſpiculo fugit. Prorſus in illo deſidero candorem: nam gloriæ cupiditatem ignoſcerem ætati, niſi fuiſſet immodica, ſed hoc vitii vel correxiſſet; vel certe mitigaſſet ætas. Toto triduo quo mecum egit, nunquam vidi hominem vel leviter ſubridentem, ne in conviviis quidem. Quæ res mihi ſane non mediocri fuit admirationi. Et tamen in epiſtolis nonnunquam conatur eſſe feſtivus, ne parum videatur Ciceronianus, *quanquam invita, ſicuti videtur, Minerva. Exorta eſt nova ſecta* Ciceronianorum, *quæ mihi videtur non minus fervere iſthic, quam apud nos* Lutheranorum. *Poſthac non licebit Epiſcopos appellare patres reverendos, nec in calce literarum ſcribere annum à Chriſto nato; quod id nuſquam faciat Cicero. Quid autem ineptius, quam toto ſæculo novato, religione, imperiis, magiſtratibus, locorum vocabulis, ædificiis, cultu, moribus, non aliter audere loqui, quam loquutus eſt Cicero? Si reviviſceret ipſe Cicero, rideret hoc* Ciceronianorum *genus. Verum de his alias ridebimus.* —

Eraſ-

Eraſmus Rot. Franciſco Vergaræ.

—*Apud hos prope turpius eſt non eſſe* Ciceronianum, *quam non eſſe* Chriſtianum: *quaſi vero ſi Cicero nunc reviviſceret, de rebus Chriſtianis non aliter loquetur, quum præcipua pars eloquentiæ ſit appoſite dicere. Nemo negat Ciceronem dicendi virtutibus excelluiſſe, quanquam non omne dicendi genus convenit perſonis vel argumentis quibuſlibet. Quid ſibi vult iſta* Ciceroniani *nominis tam odioſa jactatio, dicam paucis, ſed velut in aurem. Hoc fuco tegunt Paganiſmum, quia carior eſt illis Chriſti gloriâ. Me non admodum pœnitet e* Ciceronianorum *albo eradi, modo ſcribar in albo* Chriſtianorum. *Si quis nobis virtutes Ciceronianæ dictionis cum Chriſtiana pietate conjunxerit, hunc ego vel decem præferam Ciceronibus. Ego tantum abfui ſemper ut Ciceronianæ phraſeos figuram exprimerem, ut, etiam ſi poſſum aſſequi, malim aliquod dicendi genus, ſolidius, aſtrictius, nervoſius, minus com-*

comtum, magiſque maſculum. Quanquam alioqui leviter mihi curæ fuit verborum ornatus, etiamſi mundiciem, cum ultro præſto eſt, non aſperner. Nunc adeo non vacat expolire quod ſcribo, ut crebro nec relegere liceat. Sint germani, ſi libet, Ciceroniani, *quibus per otium licet trimeſtrem operam unis nec his prolixis literis dare. Mihi nonnunquam uno die liber abſolvendus eſt. Illis itaque probro dent iſti, quod non exprimant Ciceronem, qui id ſedulo quidem ſed parum feliciter affectant. Poſtremo, ſi fas eſt fateri verum, nec iſtorum, qui nihil mirantur præter Ciceronem, quiſquam adhuc Ciceronem feliciter nobis refert. Nihil enim moror inanem orationis bracteam, & decem verba hinc atque illinc ex Cicerone emendicata: totum Ciceronis pectus requiro. Hæc, mi Franciſce, non eo ſpectant, ut alius ſit magis proponendus eloquentiæ candidatis quam Cicero; ſed ut iſtos videam ſimios quibus nihil pulchrum niſi quod Ciceronem refert, quum nulla fuerit unquam forma tam felix in qua nihil deſideres. Ut for-*

mæ pictor, ita dictionis rhetor abſolutum exemplum à multis petat oportet.—

Eraſmus Rot. Viglio Zuichemo S. D.

—*Quid audio? cum* Ciceronianorum *turmis velitaris, & paras te juſto conflictui? At prius ſcire velim quid inter vos conveniat, quid ſit in controverſia. Si volunt ut juvenes ſeſe componant ad imitationem Ciceronis, in hoc maxime nobis cum illis convenit: nec repugnarim, ſi cenſent hunc præcipue imitandum. Sin vero non permittunt ut uſquam à Cicerone recedamus, neq; quicquam ab aliis, licet probatis autoribus, ſumamus; nec ipſos arbitror hoc facere quod ab aliis exigunt, ſi qui ſunt omnino qui hoc exigunt. Sed malus quiſpiam genius hanc peſtem conatur injicere ſtudiis, qualem jam pridem injecit religioni. Hermanus Phryſius ſemper mihi viſus eſt affectare Ciceronis jucundam facilitatem: quod arbitror te quoque tum feciſſe, tum facere. Nam hæc epiſtola tua poſtrema ſpirabat neſcio*

quid

quid Tullianum, non quidem præter solitum, sed tamen solito magis. Verum illud tibi videndum est, ne, dum impendio studes esse Ciceronianus, *parum approbes te auribus* καὶ νομοσόφων καὶ φιλοβαρτόλων. *Extra jocum, mi* Vigli, *suaserim ut aut cum talibus ne conflicteris, aut ne concertatio exeat in amarulentiam. A me si requirunt Tullianæ dictionis nitorem, bis iniquum faciunt; primum quod à Batavo, dein quod à Theologo. Alioqui sum ex eorum numero, qui M. Tullii facundiam divinam esse potius quam humanam arbitrantur. Tantum abest ut illius phrasim improbem.—*

Germanus Brixius Erasmo Rot. S. D.

—Sciunt nostri omnes quid statim aperto ore dixerim, quum apud me plerique gravissimè quererentur, post Ciceroniani *editionem, ob multa in eo libello quæ non omnibus arriderent; sed præsertim ob perstrictum, ita enim loquebantur, Budæum: qui iidem, ut me secum sentientem facilius invenirent, quam poterant invidio-*

sissimum mihi reddebant Nosoponi tui latum de me judicium. Apagete, inquam ego, non attenditis in Ciceroniano *quod ante omnia attendendum fuerat, Erasmum diversum sentire quum Nosoponus, diversum item quum Bulephorus loquitur; præterea toto in opere autori unum hoc fuisse propositum, non quidem ut Tullianam eloquentiam vellicet (id enim factum plane insani hominis factum fuerit) sed ut superstitiosam quorundam Tullianæ dictionis affectationem, quam ipsam nemini antiquorum curæ fuisse videmus, rideat detestetur que. Quod argumentum feliciter, nisi me meum judicium fallit, atque adeo Ciceroniane, hoc est magna arte, pari eloquentia, nec minore copia ab* Erasmo *tractatum inveniet; quisquis hactenus prudens patiensque fuerit, ut* Ciceronianum *ipsum prius attente totum legere quam de eo minime lecto pronunciare maluerit. Nam quæ, malum! animi perversitas, aut judicij præposteritas illa est damnare non dico quæ minus recte intellexeris (id enim levius malum) sed quæ prorsus nunquam lege-*

legeris, ac quæ ne in animo quidem unquam legere habeas? Memineram enim, Eraſme optime, damnandis præſertim ſcriptis tuis aliis atq; aliis antehac multos hac eadem temeritate tranſverſos actos. Omnia porro, quæ tum pro cauſæ tuæ tuitione à me in medium allata ſunt, tibi hic recenſere nec poſſum nec libet: ſed tamen, quod ad animi erga te mei ſignificationem pertinuit, equidem refellendis à me illorum rationibus benevolentior tibi quam antea eſſem nihilo ſum factus, diligentior ad declarandam benevolentiam multo. Ego enim, tametſi nihil videbatur ad meum erga te amorem addi poſſe, tamen tali inter noſtros tumultu ob Ciceroniani *editionem oborto, non majore quidem ſtudio, ſed acrius, apertius, ſignificantius dignitatem defendi tuam; atque ita demum defendi, ut ipſe ego jam defenſore aliquo indigeam qui cauſam apud illos meam tueatur. Vocor enim ab illis in jus, quod Eraſmo plus æquo propenſus ſim. Hujus rei teſtis mihi locupletiſſimus apud te eſſe poteſt Thomas Lupſetus, communis amicus; qui*

& ipse constanter unà mecum à partibus tuis stat, ægerrimè ferens existimationem tuam tali de causa in ejusmodi incommodum hic incurrisse. Sed ut ad illorum sermones quæstusque redeam, me certe illos audientem ut vetus nostra amicitia stimulabat, ut cavérem ne cui suspicionem animi ex ea, quam dixi, Nosoponi tui de me sententia offensi darem: sic tumultus idem, seu simultas potius majorem mihi curam afferebat cavendi, ne quid cui de summo meo erga te amore detractum esse videretur: quum & alioqui tali ingenio præditum me agnoscerem, ut me intra me tantum quæram, externarum laudum minime sollicitus ambitiosusve. Meminimus enim quanto majore cum voluptate ingenii ac doctrinæ fructus in conscientia, quàm in fama reponatur. Enimvero, Erasme suavissime, ut te à me apud alios defensum apud te nonnihil accusem, (facit autem tum παῤῥησία apud omnes mea, tum amor erga te meus, singularis ille quidem & eximius, ut hoc mihi juris apud te sumam) ut ergo te apud temet nonnulla ex parte

te reum agam; equidem quod tu mihi videris ad collationem eam, quâ de agitur, paulo inconsideratius descendisse, optârim vel existimationis meæ detrimento aliquo redemtum esse, te vel Budæi nomen in Ciceroniano tuo prorsus suppressisse, vel de Budæo seorsum quid sentires enunciâsse, vel eundem cum alio quovis potius quam cum Badio commisisse: ea enim una commissura adeo nostris omnibus invidiosa est, ut multorum tibi benevolorum animos à tui studio abalienârit; ob id quod existimant Budæum cum Badio commissum perinde esse, ac si quis Achillem cum Thersite committeret. Talem illi de Budæo, talem item de Badio opinionem unanimes inhibere; quum tamen Budæus ipse mihi visus sit totam hanc fabulam, cum de ea primum inter nos sermo incidisset, susque deque ferre: ea est enim tum prudentia tum animi magnitudine præditus Budæus, ut sua omnia ad conscientiam, non ad ostentationem referat; studiorumque suorum non ex illius vel illius sermone mercedem, sed ex ipsismet studiis petat. Non de-

ſunt tamen qui mihi narrant illius animum nunc hac de cauſa eſſe nonnihil offenſum; ſed, quod multis jam diebus hominem non viderim, id mihi plane compertum eſſe non poteſt. Proinde tametſi multorum affectum ut rectum judicium reſpiciendum haud quaquam puto, tamen non negaverim dandum eſſe aliquid hominum opinioni; præſertim qui videam vos magnos oratores ſolere ſollicitè operam dare, ut oratio veſtra audientis vulgi animis ſeſe gratioſa inſinuet; deſideratéque ut à populo plauſum, acclamationem, nonnunquam & aſſentationem magis quam exſibilationem ac cachinnum excipiatis. Itaque non parum de exiſtimatione apud noſtros tua bene meriturum te opinor, ſi præſtiteris ut vel loco ad Budæum pertinente immutato, vel appendice ad opus attexta, vel epiſtola aliqua ad hunc vel illum ſcripta, eaque poſtea edita, id Gallis noſtris probatum fiat quod revera omnibus probatum eſſe pervelim, quodque mihi atque adeo, niſi fallor, Budæo ipſi, cujus unius cauſa agitur, abunde probatum eſt; te videlicet neque Budæi

gloriæ

gloriæ invidere, ut omnino non invidere mihi facile perſuaſi (pares enim eſtis, qui autem invidet minor eſt) neque quum de Budæo & Budio ſimul verba faceres, te id de doctrina atque adeo eloquentia Budæana ſenſiſſe, quod ſenſiſſe multi falſo (malignè enim dicere nolim) interpretati ſunt: ad tuam autem gloriam pertinet quam maximum videri eum, quem exæquas. Hic mihi cauſæ totius ſtatus eſſe videtur; tu videbis cauſa ne ea tibi in forum deducenda agendaque, an potius deferenda ſit: nam ego hæc tibi à me ſimpliciter atque amice ſcripta eſſe volui, quia æquum erat te pro amore mutuo, non ſolum meam cauſæ tuæ defenſionem, verum etiam conſilium in cauſa tua meum cognoſcere; neque enim ſolum ſtudio erga te meo, verum etiam judicio de te meo ſatisfaciendum putavi: videbam enim non tam mihi conſiderandum eſſe quid vir optimus in præſentia probares, quam quid ſemper eſſes probaturus. Tuum nunc eſt, Eraſme optime, eadem ſimplicitate atque amicitia reſcribere, conſilium meum ſequi an ab illo diſſentire ma-

lis. Qui ſi tibi erroneus conſultor eſſe videbor, amabò te erroris mei rationem ut explices: quanquam enim autoritati tuæ cedere nulla non in re, nullo non in loco ſum paratus; tamen in ea cauſa, in qua minus apud me affectus quam apud te valere poteſt, rectius arbitrabor ratione abs te quam autoritate ſuperari. Confido tamen omnino acceſſurum te ſententiæ meæ, effecturumque ut neque me conſilii dati neque te accepti pœniteat.----

Eraſmus Rot. Germano Brixio S. D.

ADmonueras pridem, ornatiſſime Brixi, Ciceronianum *editum mihi nonnullam iſthic invidiam conflaſſe, quod ego facile augurabar fore, ſed duntaxat apud eos qui tali ſuperſtitione tenerentur, qualem affingo Noſopono, ſub unius perſonâ mederi ſtudens omnibus: at nihil minus exſpectabam, quam ut ex eruditorum numero quiſquam exiſteret, qui cenſeret libellum ad publicam ſtudiorum utilitatem elaboratum Hipponactéis epigrammatiis lapidandum, quod iſthic fi-*

ri

eri ſignificant amici neutiquam leves, & in guſtum miſerunt tria quatuorve non minus iniqua quam indocta; nec tacuerunt quinam eſſent illorum autores. Frequenter deplorare ſoleo pietatem Chriſtianam tam miſeranda diſſidiorum lue nuſquam gentium non periclitari: ſed vereor ne ſimilis lues invadat politiora ſtudia, quæ jam pridem multis regionibus ſat feliciter efflorvervnt, quanquam non alibi felicius quam in veſtra Gallia. Nam apud Italos bellorum tumultibus conterritæ Muſæ ſilent frigentque. Ego vero tametſi natura plurimum abſum ab iſtorum ingenio, qui ſic addicti ſunt huic aut illi nationi ut cæteras propemodum oderint; tamen ſi in ullam nationem animo propenſiore fui, ſemper in Galliam fui: cujus rei teſtes eſſe poſſunt, tum hi qui mecum familiariter vixerunt, tum meæ lucubrationes, in quibus libenter immoror Gallicæ gentis encomiis; nominatim autem panegyricus quo principi Philippo ex Hiſpaniis reduci gratulor. Quo magis etiam me diſcruciat hoc fatale diſſidium, quod duos orbis potentiſſi-

tiſſimos monarchas tam diu divimit. Quoniam autem videbam apud Germanos aut exſtingui prorſus, aut miſerè frigere liberalium diſciplinarum ſtudia; apud Italos inter armorum crepitus non audere caput exſerere, gaudebam certe apud vos Muſis eſſe ſedem tranquillam & amœnam. At plurimum referebat ut inter eos, qui literas humaniores propugnant, eſſet ſtudiorum & animorum conſenſus: quod exemplum vel ab hoſtibus literarum petendum erat, quos videmus miro ſyncretiſmo junctiſque phalangibus adverſus hæc ſtudia dimicare. Nec hic ad calculum venire oportuit, ſub quo quis cœlo natus eſſet: cives inter ſe ſunt ac ſymmyſtæ, quicunque ſtudiis iiſdem initiati ſunt. Nunc quorſum attinebat ex cauſa tam frivola tam ſeriam excitare tragœdiam; & his, qui non minus male volunt nobis omnibus quam ipſis ſtudiis, hoc longe gratiſſimum edere ſpectaculum, quo magis ac magis accendantur ad id quod ultro nimium agunt ſtrenue? Oleum, inquiunt, camino. Sed dediſti, inquient, cauſam. Quam obſecro cauſam? niſi plane volumus

lumus nobis ipsis oculos obtegere, quid aliud agit ille libellus, quam ut superstitiosam, anxiam, ineptam & imperfectam Ciceronis æmulationem traducat, atque ad veram ejus autoris imitationem provocet? Quis hoc doctus, quis sanus non probet? Quid autem ad veram eruditionem inutilius quam si juventus, contemtis omnibus qui à Ciceronis phrasi discrepant, uni sit addicta; cujus tamen nihil effingere conetur, nisi quod in illo minimi est momenti? Morbus hic primum ex Italia duxit originem, nec ulli majores ibi tumultus concitârunt quam qui minimum habebant Ciceronis. Neque paucos nostratium ea lues afflare cœperat, præsertim illos qui nobis ex Italia redierunt. Id quoniam perspiciebam vehementer inutile vel eruditioni solidæ vel Christianæ facundiæ, paucorum dierum opella mihi sumta est, ut eam superstitionem ab animis juvenum depellerem ab hoc ipso quod affectatur submoventem; dum & tot autores lectione dignos fastidiunt, nec eum, quem unum sibi proponunt, assequuntur. Nec enim tam sum cæcus,

ut non videam M. Tullium ſic eloquentiæ principem eſſe, ut cæteri, quamlibet per ſe facundi, ad hunc compoſiti velut obmuteſcere videantur. Proinde non video cur illos offendat argumentum, ad quod ſuſcipiendum literis hortatus ſum Guilhelmum Budæum, & ille ſignificârat ſibi in animo eſſe per occaſionem hoc genus hominum accipere. Quod ſi huic non diſplicuit argumentum, quid eſt quod fremunt iſti qui Budæi valde ſtudioſi videri volunt? At fortaſſis non offendit argumentum, ſed tractandi ratio; quoniam propemodum omnes ſubmovet Noſoponus ab honore Tulliani *cognominis. Atqui reputare debebant illic Noſoponum loqui non Eraſmum, quanquam ne Bulephori quidem ſimplex eſt oratio, quippe qui ſe fingit eodem teneri morbo ut alteri medeatur: eoque patitur probatiſſimis quibuſq; ſcriptoribus hoc honoris negari, ne Noſoponus prorſus animum deſpondeat, ſi minus quod ambit aſſequatur. Itaque non illic ſuggillantur qui negantur eſſe* Tulliani, *præſertim ad regulam æſtimationemque Noſoponi: quin potius*

illud

illud erat propoſitum ut perſuaderem fuiſſe multos ea doctrina facundiaque præditos, ut ſi non ſimilibus certe paribus dotibus cum Tullio certare poſſent; qui tamen ab illa Ciceronianæ phraſeos cute bracteaque, quam unam affectant quidam, longiſſime abſint. Adeo vero mihi non fuit animus ullius nomen perſtringere, ut, quanquam induco perſonam parum integri judicii, tamen hic à decoro nonnihil deflexerim, neminem recenſens cui non ſuam laudem tribuerim, ſane quantum in tranſcurſu κὐ ἐν παρέργῳ *licuit. Nec enim illic ſuſceperam cenſuras, aut encomia ſcriptorum omnium. Sufficiebant ad id quod agebam exempla decem. Sed à quibuſdam arbitrabar me initurum gratiam commemorati nominis, & ſunt qui gratias egerunt: tum exiſtimabam eam judiciorum varietatem non inutilem fore juvenibus, eruditæ facundiæ candidatis, quod ipſe prioribus ad me literis ſentire viſus es. Sed indigne ferunt quidam parum honorifice tractatum ibi Budæum. Qui ſic? an quia Noſoponus nondum à ſuperſtitione liber ſubmovet illum ab albo* Ciceroniano-

nianorum? *Hoc ipſe Budæus ingenue fatetur, qui nec affectat hoc quod requirit Noſoponus, atque damnat etiam quod unum ille miratur. Nec ideo quiſquam ſubmovetur ab eruditorum aut eloquentium ordine, quandoquidem in eodem dialogo doceo fieri poſſe ut exiſtat aliquis Cicerone tum eruditior tum etiam eloquentior, qui tamen illi in dicendi charactere ſit diſſimillimus. Ubinam igitur eſt hic illa in Budæum contumelia? Faciant illum M. Tullio doctiorem, non arcetur ab hac laude; faciant illum facundiorem, nihil obſtat elogium Noſoponi. At paucis attingo laudes illius; non enim patiebatur copiam argumenti ſuſcepti ratio, verum in Annotationibus novi Teſtamenti, in Adagiis non raro quæſitus eſt campus in illius laudes exſpatiandi, ſi minus id factum in epiſtolis: niſi forſitan hoc quoque contumeliam eſſe ducunt in Budæum, quod ab Eraſmo laudatur, quum frequenter tum in argumentis ſeriis, atque haud ſcio, an ſæculis aliquot autori ſuo ſuperfuturis. Utcunque de hoc judicant, certe à me honoris gratia factum*

eſt

est; quanquam non eram nescius, nec illius modestiam desiderare mei calami testimonium, nec illius gloriam egere nostra commendatione, quippe qui domi habeat unde semet orbi carum clarumque reddat, etiamsi nondum esset, ut est, celeberrimus. Sed hoc tum existimabam studiorum interesse, ac, ut ingenue dicam, mea quoque nonnihil. Tantum enim semper Budæo tribui ut illius amicitiam mihi cum primis honorificam duxerim, ejusque viri mentione veluti gemmis additis putârim aliquid dignitatis accedere libris meis. Quin & eas laudes, quas tu illi in epistola tua cumulatissime tribuis, magna cum animi voluptate legi, gaudens apud vos saltem haberi honorem egregiis meritis debitum, ac virum de rectissimis studiis & hactenus optime meritum & indies melius ac melius merentem pro numine coli. Hunc animum quum constanter erga Budæum gesserim, & adhuc geram; quid est quod isti livoris & odii suspiciones fingunt? Verum illud prædicant crimen esse nulla purgatione diluendum, quod Budæum cum Badio contu-

contulerim. Primum illic non jugatim commemorantur eruditorum nomina, quemadmodum Quintilianus Græcos cum Latinis committit, sed juxta regiones. Budæus autem & Badius fors simul occurrebant, quoniam uterque Gallus, uterque vivit Lutetiæ. Nisi forsitan hoc quoque putant non ferendum, si in eodem catalogo recenseantur Budæus & Badius. Hoc qui sentiunt, longe dissentiunt ab animo Budæi; nisi prorsus totam illius naturam ignoro. Sed confers, inquiunt, alterum alteri, formicæ camelum. Imo Nosoponus, inquam, confert, non ego. Sed age: nihil mihi patrocinetur personæ causatio, quod ad hunc sane locum attinet; scripserit hoc Erasmus, & scripserit ex animi sui sententia: num ullo verbo læsa est Budæi existimatio? Confero; sed qua tandem in re? num in majorum imaginibus, num in opibus, num in dignitate, num in eruditione, aut eloquentia? Nequaquam: tantum in cute bracteaque Ciceronianæ phraseos, quam ingenue negligit Budæus, & ibi ex professo negligendam doceo, & à summis

mis probatiſſimiſque ſcriptoribus neglectam fuiſſe demonſtro: nec aliter confero Budæum cum Badio, quam Leonardum Aretinum contuli cum Quintiliano, Philelphum cum Plinio. Sed anteponis, inquiunt, propemodum Badium. Nimirum in eo præfero in quo præferendus eſt, in quo quamlibet prælatus nihil officit gloriæ Budaicæ: ſiquidem hoc illic agitur, celeberrimos quoſque ſcriptores fuiſſe Ciceroni diſſimiles. Proinde quo magis antecellit eruditione facundiaque Budæus, quoque longiore intervallo à tergo relinquitur Badius, hoc exemplum eſt aptius ad id quod illic molior. Demiror iſthic eſſe doctos qui hæc non videant, &, ſi vident, magis etiam demiror eſſe qui vociferentur, qui maledicis verſiculis rem dignam exiſtiment. Poſtremo, ne quis improbus arriperet anſam calumniandi de collatione diſpari, ſubjicio, quanquam Guilhelmus Budæus aliis multis eximiiſque dotibus ſuſpiciendus eſt. *Quod hic verbum, quod non habeat emphaſim eminentiæ? Tribuo illi* multas dotes, *non hoc ſatis erat animo meo, addo* eximias;

mias; *nec dixi*, præditus eſt, *ſed* ſuſpiciendus *eſt*; *non jam illum Badio tantum præferens, ſed univerſis pæne ſcriptoribus anteponens: neque enim paullo ſublimior eſt omnibus, quem ſuſpiciunt omnes. Hæc cum ſint meridiano ſole clariora; quænam iſta judiciorum cæcitas, ut, cum ego tam honorifice tractarim Budæum, non aliter fremant quam ſi in faciem illius exſpuiſſem? Dicor, ſi Muſis placet, lacessere vivos & mortuos; quum illic neminem prætermiſerim illaudatum, præter unum me. Atque adeo is ipſe qui fertur hujuſmodi verſiculis ludere, ſatis honorifice commemoratur in eo dialogo, nec uſquam alibi nomen illius attingo ſine honoris præfatione. Alius ſuccinit*, plus lavet ille pari. *Hoc dictum mihi profecto nequaquam contumelioſum eſſe duco, ſed haud ſcio an Badius æquo animo laturus ſit Eraſmum ipſi æquari. Aliis liberum erit de Badio judicare quod volunt; ego ſemper illum habui in eorum numero, quorum nec eruditionem nec ingenium nec eloquentiam poſſis contemnere: tametſi non diſſimulo illum*

longe

longe majorem fuisse futurum, si fortuna benignior otium ac tranquillitatem studiorum suppeditâsset. Verum hæc mihi dicuntur extra causam. Mea collatio ut Budæo est honorifica, ita nihil detrahit Badio. Et ubi sunt hic argumenta Budæi laudibus invidentis? An livor impulit me ut in lucubrationibus meis, nec ludicris, & ut spero victuris, toties tam amanter, tam honorifice de illo prædicem, quam haud scio an quisquam alius, etiam Gallus? Itane istic vocor in invidiam, æmulationis quum Romæ gravem sustinuerim invidiam, quod in epistolis meis illum Italis etiam prætulerim? Ego, mi Germane, talibus viris bonas literas non solum provehentibus industria sua, verum etiam dignitate sua ornantibus gratulari soleo, non invidere: nec arbitror ingenium meum ab ullo vitio alienius quam ab invidentia. Quis unquam sensit mihi motum stomachum, quod quamlibet etiam gregariis postponerer? Utinam à cæteris omnibus vitiis æque purus sim! Sumus olim inter nos epistolis velitati dictionis exercendæ gratia; erat ille tum propen-

pensior in Jacobum Fabrum, verum hæc conflictatiuncula nostram amicitiam confirmavit verius quam diremit. Post dicebatur nescio quid stomachi in me concepisse, quod in scriptis meis alicubi videar attingere Gallos. Locus unus est in Colloquiis, ubi quidam pollicetur sese commonstraturum unde posset quantum vellet numorum petere, sive cuperet aureos sive mallet argenteos; & avidam alterius exspectationem fefellit, respondens, ex Asse Budæi. *Quid hoc joco posset esse magis innoxium? aut quid hinc aliud admonetur lector, nisi Budæum diligenter scripsisse de Asse? An mihi merito succenseat Lazarus Bayfius, si quis in colloquiis ita jocetur in hominem pannosum, ut polliceatur se commonstraturum unde possit gratis quodcunque vellet vestium genus sumere; & aventi scire unde responderet,* ex Vestiario Bayfii? *Tantum religionis vix arcanis defertur literis. Cætera quæ fere sunt hujus generis non repetam, ne fiam prolixior; præsertim quum hac de re per literas Budæo satisfecerim. Annon licebit*

cebit in quenquam Gallum aliquid sub quacunque persona vel joco dicere, nisi tota Gallia me reum agat læsæ majestatis? Quot igitur nationes mihi succensebunt, quarum mores notantur in Proverbiis? Sed quam hic animum habuerim sincerum, hinc perpendito. Nunquam crediturus eram Budæum hoc nomine subiratum esse, nisi ipse, literis ad me datis, pro sua ingenuitate stomachum suum esset confessus, sed quem facile videbatur posuisse. Nec arbitror ullas mortalium amicitias esse tam felices, ut non incidant aliquoties hujusmodi nubeculæ. Atqui tales offensiunculæ frequenter amoris integratio est. Denique, post editum Ciceronianum, *literis amicorum admonitus sum ut apologia quapiam ad Budæum scripta placarem illius animum, si quid forte concepisset offensionis: ad quod tuæ quoque literæ me videntur adhortari; sed non occurrebat quid scriberem aut cui scriberem. Nam de Budæi probitate prudentiaque persuasionem habebam ejusmodi, ut citius sperarim ab illo gratiam ejus commemorationis, quam offensam metuerim: cujus*

animi

animi magnitudinem ſimul & humanitatem, quam tu vere prædicas, ita mihi videbar habere perſpectam, ut etiam ſi quid excidiſſet mihi minus circumſpecte dictum, putarem aut neglecturum aut in bonam partem interpretaturum. Itaque quum mihi animus eſſet erga illum qui debet eſſe erga veterem amicum, & in re literaria coryphæum; & locus adeo nihil haberet κίβδηλον, ut paucis verbis plurimum illi laudis tribuerit: quî poteram inducere animum, ut crederem indignari Budæum? Scripſiſſem ad amicorum illius quempiam? Quemcunque delegiſſem, carbone notaſſem illius judicium vel de me vel de Budæo vel de utroque: de me, quaſi ſim tam petulans ut talem virum, quem ſtudiorum nomine non poſſum non amare, etiamſi mihi cum illo nulla intercederet amicitia; dicam amplius ſed æque verum, etiamſi de me parum honorifice tumſentiret tum loqueretur, nulla laceſſitus injuria ſtilo peterem: de Budæo, qui tam moroſum exiſtimârit ut pro candido officio reponeret indignationem: de utroque, qui vel me tam ignarum

mei

mei putârit, ut cum eo viro de gloria eruditionis contendere sustineam, quem semper extra hujus ætatis aleam positum cum priscis illis heroibus soleam componere; vel Budæum tam humilis animi, ut mei similem sit vel conflictu dignaturus. Nec adhuc mihi quisquam persuasurus est, Budæum pilo minus amicum esse quam solet; nisi stomachum suis literis profiteatur, quod illum facturum non arbitror. Jam qui tam ineptis versiculis ungantur, utrius quæso existimationem magis lædunt? meamne an Budæi? Me quidem ipse locus absolvit: itaque si quid hic est reprehensionis, in Budæum recidit, quem vocant in suspicionem vel quod nulla de causa succenseat amico, vel quod amicis tam ineptis delectetur; nisi forte hæc ludunt illo insscio. Tibi justior erat Erasmo succensendi causa, mi Brixi, quem multo frigidius recenseo quam Budæum; & tamen abs te nihil omnino metui, jampridem habens perspectam & judicii tui rectitudinem & ingenii suavitatem. Quantum autem absunt à Gratiis & Musis, qui te conati sunt

dictis atrocibus in me concitare, quem concitatum placare debuerant? Quid moribus tam inhumanis cum literis humanitatis? Hortaris tu quidem & prudenter & amanter, ut hic succurram existimationi meæ. Valeat omnis existimatio, si hæc animorum lues invasit melioris literaturæ cultores. Quo colore tractabo hoc argumentum, ut non lædam existimationem eorum qui sic fremunt de re nihili? Contuli Budæum cum Badio. Quid si Budæi lagenam cum Badii lagena contulissem, clamarent læsam Budaici nominis majestatem? Neque enim hæc collatio magis Budæi gloriam lædit, quam si lagenam lagenæ comparâssem. Restat etiam illud, si superis placet, ut me purgem, ne videar invidere Budæo. Quasi tot locis operum meorum inspersa nominis illius honorifica commemoratio, non satis declarat quàm illi invideam. Invidemus iis quos speramus nos assequi posse. Budæum tot stadiis præcurrentem suspicere mirarique soleo verius quam æmulari. Nam quod tuus candor Budæum & Erasmum pares facit, hoc me prædicans

esse

esse Germaniæ quod Budæus est suæ Galliæ, eleganter id quidem & satis rhetorice; sed in re nihilo levius peccas, quam si ego simpliciter Budæum cum Badio contulissem. Magis enim impares sumus quam dissimiles, Erasmus & Budæus. Atque ut grati judicii est quod Gallia veneratur agnoscitque suum Μεσσίαν, ita non desunt Germaniæ quibus hoc honoris debetur potius quam Erasmo. Summum, inquis, esse convenit, quem exæquas. Istud quo tandem laturi sunt animo qui me Badio parem faciunt; nisi forte tribuunt eandem veniam amicorum præconiis, quam Venus tribuere dicitur amantium perjuriis? Sed, ut ad invidiæ crimen redeam, obsecro quam syllabam reperiunt in libris meis quæ spirat invidiam in Budæum? aut quem omnino proferunt sive summum sive mediocrem, cujus industriæ non faverim? aut quis unquam meo calamo lacessitus est, qui non prior molestè lacessiverit me? Indicas & remedium, si proxima editione Budæi mentionem expungam, aut à Badio separem. Id quidem ut est perfacile, ita

lubens fecero. Sed quid non calumniabuntur, qui hoc calumniati sunt? Si prætermisero, dicar invidisse: si correxero, repetent prioris collationis memoriam quæ jam animos occupavit. Faciam tamen quod mones, cujus consilium ut certo novi ab animo sincerissimo proficisci, ita spes est futurum etiam felix. Quanquam autem de tui erga me animi vel sinceritate vel constantiâ, mi Brixi, nunquam dubitavi, tamen non potest mihi non esse pergratum hac occasione factum, ut omnibus tuam erga me pietatem faceres testatiorem, modo ne quid tuo nomini concilietur invidiæ, cujus eruditio singularis & viveus quidam ingenii candor hoc promeretur, ut tibi faveant omnes, invideat nemo. Sed, obsecro te, tantus patronus quam bonam quamque concibilem causam susscepisti? Atqui pessimæ quæque causæ ad optimos oratores deferri solent, quanquam istis bono medico magis opus esse suspicor quam bono oratore. Quid aliud adferunt isti, nisi Budæum Badio contulit, *& hanc cautionem subinde recinunt;* Budæum Badio contulit? *Atq; inter*

hos

bos ferunt esse, qui prius amici videbantur, quique de nostris studiis non omnino pessime sentiebant. Posteaquam Budæum Badio contuli, protinus abrogant mihi quicquid ante tribuebant, ingenium, eruditionem, eloquentiam, judicium, denique sensum etiam communem. Amicitia quæ desinere potuit nunquam vera fuit. Qualem autem conjectandum est illam fuisse, quæ tam frivolis de causis transiit in simultatem; imo quæ pro officio rependit contumeliam? Malis nihil opus est præter occasionem, ut habet proverbium. At pejores sunt qui benevolentiam rapiunt in occasionem malevolentiæ, & inde moliuntur vindictam unde decuit gratias agere. Mores istos plusquam Scythicos immane quantum oportet abesse à studiis humanioribus. Fuit hoc infelicitatis meæ, quod aliquot in me stili mucronem strinxerunt. Sed quis est unquam à me ob causam tam frivolam impetitus? Equidem arbitror non temere repertum iri, in cujus libris tot reperias laudata nomina, quot in meis. Quin hoc ipso in libello, cum per-

personam inducam siniſtri judicii, cum ipsa res invitaret, ut de varietate dictionis disſereus quid in ſingulis placetet aut diſpliceret indicarem; eam tamen in cenſuris tenui moderationem, ut nullus, ni fallor, æquus ſit in me cendorem deſideraturus. Atqui ea res non mediocriter conducebat ad adoleſcentulorum profectum. Sed malui minus prodeſſe omnibus, quam quenquam offendere. Suſpicor iſtic eſſe ἀλλεφύλους, quos intra ſuum urit, quod nego quicquam eſſe facundum quod non eſt Chriſtianum. Hi forte ſuo dolori, quem fateri pudet, prætexunt Budæum cum Badio collatum; ac diſſidii ſemina jaciunt, quærentes quem protrudant ad ſui doloris ultionem. Opinor te non latere, quid ſibi velit hoc ænigma: naſum habes. Verum adverſus iſtos omni, quod aiunt, pede ſtandum eſt, qui moliuntur ut ſub titulo nomineq; bonarum literarum repullulaſcat paganitas. Si ſumus ex animo Chriſtiani, nihil nobis eruditum, elegans, aut venuſtum videri debet, quod non ſpiret Chriſtum, quoties materia poſtulat. Novi quoſdam clanculatios paganitatis fautores,

torez, qui, si mihi stomachum moverint, accipientur ut digni sunt. Pro Christo sentient me non esse timidulum, in aliis non gravate concedo quibuslibet. Sane literas eas, quas ad quendam scripseram liberius in amici sinum effundens quod sentiebam, quanquam in illis non arbitror esse quod vel verum non sit vel in Budæi nomen sit contumelioſum, tamen optârim in aliorum manus non venisse. Uni scripseram, cujus fidem habebam perspectam, nec tuam prudentiam arbitrabar egere monitoris, quanquam posterioribus literis admonueram: tantum enim abest, ut illas scripserim editurus, ut à duobus tantum lectas voluerim. Quare te rogo ne latius serpat res, tametsi jam audio rumorem hujus ficti dissidii ad Christianissimi Regis aures dimanâsse. Scilicet deerant illi negotia, nisi & talibus næniis cogeretur intendere--

Julius Cæsar Scaliger Jacobo Omphalio S. P. D.

--De concordia verò quod scribis, ô hominem verè humanum! ô divinum vi-

virum! te ad obſcuri nominis neſcio quem divertere ab inſtituto itinere tuo, ut eum viſeres officioſe, humaniſſime atque honorificentiſſime appellares: ad eum te ultro literas elegantiſſimas, in his illius laudes quoque; qui tamen cum amiciſſimo atque intimo tibi exerceret inimicitias: tum autem te ita comparare, ut etiam eundem efficias humaniorem. Ergo, mi Omphali, cum tanta ſit tuorum erga me magnitudo meritorum, facile à me feras quod ultro ob innumerabiles virtutes tuas officium in te debuit proficiſci. Habeas tibi amoris mei jus quem condones Eraſmo; eum tibi fidei commendo tuæ, ut de eo cui velis omnia ſedata, pacata, tranquilla, civilia denique atque etiam pia polliceare. Dem hoc humanitati tuæ, dem meæ lenitati, dem illius nominis ſplendori, laudatæ eruditioni: dem meritis ejus in Remp. literariam, pro qua otium devovit ſuum, ſuaque commoda cum illius commodis commutare minime dubitavit. Qua ex facilitate mea intelligat ſane me tantum ab ſe abfuiſſe, quantum ipſe eloquentiæ patrocinio defuturus eſſe videbatur. Eſt

nobis

uobis, eſt idem animus, Omphali, pro libertate noſtra, qui pro Ciceronis defenſione fuit: par cauſa ac fortaſſe ſuperior. Hæc igitur omnia mea conſilia, omnes vires meas, decus, conſtantiam, dignitatem, animum, me ipſum hac in tam pia provincia tua, tua in poteſtate futurum polliceor. Te vero, Omphali, qui tantum in Rep. boni, tantum pacis oſtentas apparatum nobis, vide quæſo ne quod humanitatis & tuæ & noſtræ cauſa facimus, metu quodam potius feciſſe videamur. Eſt permagnum pergraveque teſtimonium tuum. Hoc ſatis habeam, deponere me in ſinu eloquentiſſimi viri inimicitias cum eloquente viro ſuſceptas eloquentiæ cauſa: præſertim cum Eraſmus ipſe tandem aliquando exuerit perſonam illam eloquentiæ exitiabilem priſtinumque conſilium repudiârit. Quare illius ſententiæ fautores gratioſos vides animo concidiſſe: quorum aliquot conſpiratio atque ineptæ conſenſionis fides eò erupit pertinaciæ, ut cujus impetu ſemel ſint impulſi, ejus judicio retrahi nolint ad ſanitatem. Equidem virum illum multis magniſque literariis virtutibus ornatum

natum ſemper admiratus ſum: ejus labores, vigilias, monumenta colui. Quo factum eſt, ut gravius tulerim depravari per eum eloquentiæ inſtitutiones, quem næ ego ducem & mihi adoleſcens propoſuiſſem, & liberis meis ſenex animo deſtinaſſem. Nemo enim bonus aut beatus ullo in genere officiorum eſſe poteſt, cui non gratior publica ſalus atque commoda potiora quam privatæ rationes ullæ. Scio me gratioſe exceptum à graviſſimis viris, quorum judicium plurimis maximiſque de cauſis orbis noſter ſuſpexit ſemper. Scio contra multorum avertiſſe animos ab laude mea, convertiſſeque ad obtrectationem: quorum aut conſcientia virium à Cicerone deflexerat, aut apud quos Eraſmi ſtudium officiebat veritati. Ego vero ſuſtentor præclara illuſtrique conſcientia, cum id egi quod ipſi Eraſmo peragendum aliquando adverſum ſeſe fuit; quodque à me inchoatum perfecit ille tandem, ut cum Cicerone rediret in gratiam. Sic enim teſtatur hoc recenti epiſtola Tuſculanis affixa quæſtionibus. Satis igitur mihi laudis atque gloriæ partum puto, non quod tantum deturbârim

bârim imperatorem, sed quod meum ille judicium sit secutus. Itaque illam Reipubl. calamitosam eloquentium proscriptionem nova prudentia cum aut sustulit aut emendavit, attulit sane meo nomini consolationem: quod nomen levissimorum turpissimorumque semi-literatorum convitiis impudentissime appetebatur. Vident vero me & recte feciss primum, & deinde felicissime pro eloquentiæ summa dimicantem, de universa Rep. non pessime meritum divinitus prospexisse commodis studiosorum, quæ ego meo anteponenda otio statuissem. Hunc ego cursum laudis meæ, publicæ utilitatis, communium commodorum sævissimis agitatum tempestatibus, tanto minus miserum duco, quanto est tranquilliorem nactus portum; in quo etiam procella illa conquiescendum tibi esse indicavit. Unum superest, mi Omphali, ut, abjectis dissensionibus atque in ipso civilis prudentiæ gremio collocatis, te suasore atque hortatore pacis nostræ, imponamus finem inimicitiis nostris: quarum initium ab ipsis literarum studiis profectum, earum puritatem pudorem-

doremque facile tandem contaminare poteſt. Neque enim modum habet ullum iracundia, in quam deprehenſi inter errores noſtros leviſſime impellimur, atque capit incrementa quotidianis fomitibus convitiorum. Quo nihil abeſſe longius poteſt ab humanitate; quæ ſive natura inſita ingenitaque, ſive rectis imbuta inſtitutis immerito literariis altercationibus conſpurcatur, quarum literarum ſtudiis erigi debuit atque ſuſtentari. Ille quid in me animi habeat profecto neque ſcio neque divinare habeo, niſi ſane admodum infenſum puto: ea res ſi fovet priſtinas ſimultates, facile cedimus. Nihil enim mihi aut glorioſius contingere poteſt, quam illius impetum à Rep. retardaſſe; aut præſtabilius quam ob eandem mihi factum inimicum etiam humanitate ſuperaſſe. Vale quarto Nonas Majas. Agenni 1536.

FINIS.

Auctores in hoc Dialogo laudati aut quoquo modo notati.

A

Acciaiolus 154
P. Æmilius 162
Rod. Agricola 177
Albertus 164
And. Alciatus 163
Hier. Aleander 164
Ambrosius 150
Bruno Amerbachius 181
Ammianus Marcellinus 144
Anselmus 152
Jac. Antiquarius 160
Appulejus 146
T. Aquinas 91, 98, 152
Leon. Aretinus 154, 217
Augustinus 150
Ausonius 147

B.

Jod. Badius 166
Herm. Barbarus 156, 217, 219
Fr. Barbatius 155
Adr. Barlandus 174
Laz. Bayfius 168
Ant. Becarias 155
Beda 152
Petr. Bembus 156 200
Bernardus 161
Phil. Beroaldus 160
Nic. Beroaldus 167
Bilibaldus 180
Blondus 153
Boccatius 153
Ach. Bochius 155
Boëthius 147
Paul. Bombasius 163,
Bonaventura 152

Germ.

Germ. Brixius 170
Guil. Budæus 166
Her. Buschius 178

C.

C. Cæsar 99, 141
Domitius Calderinus 161
Camillus 84
Cl. Cantiuncula 168
Capnion 179
Mart. Capella 146
Jul. Capitolinus 143
Chr. Carlebitzius 179
Scip. Carteromachus 161
Bapt. Casselius 201
Cato, 131, 132, 133
Jac. Ceratinus 177
Cicero *passim*
Claudius 152
Urc. Codrus 157
M. Cœlius 141
Cœlius Rhodiginus 165
Cœlius Calcagninus 165
P. Cortesius 160, 217, 219
Petr. Crinitus 160
Andr. Critius 183
Q. Curtius 143, 217
Cyprianus 149

D.

Fr. Deloinus 167
Ægid. Delphus 176
Hier. Donatus 164
Mart. Dorpius 176

E.

Bapt. Egnatius 162
Des. Erasmus 175
Eutropius 144

F.

Jac. Faber 166
Ferdinandi *duo* 166
Marsil. Ficinus 156
L. Flo-

L. Florus 144
G.
Vulc. Gallicanus 144
Petr. Gandavenſis 152
Guil. Gandavus 176
Theod. Gaza 157
A. Gellius 145
Geneſius 185
Henr. Glareanus. 182
Conr. Goclenius 178
Saxo Grammaticus 174
Guil. Grocinus 170
Rob. Gaguinus 165
Guarinus 154
H.
Alex. Halenſis 152
Hayo Hermannus 178
Alex. Hegius 178
Henric. VIII. 173
Hermicus 184
Heſychius 152
Hilarius 149
Horatius 145
Ulr. Huttenus 180
I.
Iſidorus 152
Leon. Juſtinianus 155
L.
Lactantius 147
Æl. Lampridius 143
C. Landinus 160
Lapus 154
Jan. Laſcares 157
Guil. Latimerus 173
Leo. I. *Papa* 151
Nic. Leonicenus 160
Nic. Leonicus 160
Th. Linacer 171
T. Livius 143
Chriſt. Longolius 188, 189, 193
Lopez 183
Lucanus 145
Lucillius 145

Lucretius 145
M.
Macrobius 146
Mancinellus 160
Bapt. Mantuanus 204
P. Marſus 160
Val. Martialis 145
Marullus 157, 159
Phil. Melanchthon 180
Geor. Merula 157, 159
Petr. Moſellanus 169
Fr. Mirandula 156
Tho. Morus 172
Muſurus 157, 159
N.
Ant. Nebriſſenſis 183
O.
Ovidius 145
P.
Ric. Pacæus 171
Vell. Paterculus 144
Paulinus 150
Fr. Petrarcha 153
Petr. Phædrus 84
Fr. Philelphus 154
J. Picus Mirandula 156
Joan. Pinus 166
Jac. Piſo 182
Bapt. Pius 160
Platina 159
Plinius 144
Poggius 155
Ang. Politianus 156, 157, 217, 219
Treb. Pollio 144
Reg. Polus 173
Pomponius Lætus 159
Pontanus 201, 203
Æm. Probus 144
Q.
Quintilianus 143
R.
Remigius 152
Ruellius 169
S.
Ant. Sabellicus 162
Jac. Sadoletus 206

Salluſtius 142,217
Sanctius 183
Bart. Scala 160
Co. Scepperus 168
Seneca 142
Acc. Sincerus 203
Solinus 144
Æl. Spartianus 143
Jac. Spiegellius 180
Suetonius 143
Serv. Sulpitius 141
Sulp. Severus 149
Symmachus 146

T.

Tacitus 143
Tertullianus 99 150, 217
Joan. Tortellius 153
Geor. Trapezuntius 157
Trebonius 141
Ant. Tudertinus 155

V.

Valer. Maximus 43, 142
Geo. Valla 160
Lau. Valla 155,217
Varro 99
P. Vatinius 141
Aurel. Victor 144
Virgilius 145
Cor. Vitellius 160
J. Lud. Vives 184
Fla. Vopiſcus 144
Vel. Urſinus 182

W.

Jac Wimphelingus 180

Z.

Ulric. Zaſius 181

FINIS.

ERRATA.

PAg. 56. *l.* 3. *pro* Mace, *l.* Marce. p. 58. *l.* 11. *pro* quidam *l.* quidem. p. 64. *l.* 8. *pro* ejuſdam, *l.* ejuſdem. p. 68. *l.* 24. *pro* horatu, *l.* hortatu. p. 71. *l.* 8. *pro* ſcurrulitate, *l.* ſcurrilitate. p. 48. *l.* 22. *pro* Phœdrus, *l.* Phædrus. p. 86. *l.* 3. *pro* natu, *l.* nutu. p. 139. *l.* 19. *pro* immorlitatem, *l.* immortalitatem. p. 220. *l.* 7. *pro* imitatur, *l.* imitantur. *Excerptis.* p. 3. *l.* 8. *pro* logi, *l.* legi. p. 10. *l.* 6. *pro* loquetur, *l.* loqueretur.